UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, M.DC.LXXX.**

III. De affectus diuini erga creata efficacia absoluta & secundum quid, siue ex parte sua, non nostri antecedente, beneplaciti, nec solum signi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94285

Visual Library

2. Nec indè tamen gaudium perſonarum diuinarum procedentium, quod à producentibus originariè ſint, & procedant, diuinaque communia omnia recipiant, & poſſideant ad ſpem ſpectare propriè, etſi iuxta Caietani, & Soarij noſtri ſententiam in Beatis gaudium de adepta beatitudine ſpei actus ſit, atque ab habitu ſpei ad eum connaturalius eliciendum, in eis in ſtatu beatitudinis adſit: tum, quia virtus, qua procedunt tanquam producendi ratione, & energia in eſſentia, & amore communi ſtat, quæ ipſorum eſt, ſolum conferente perſonalitate Patris eſſentiæ identificata neceſſariam diſtinctionem principij abſoluti & expediti ab identitate cum termino producendo, vt diximus controuerſia de Trinit.d.a.de proceſſionibus, & diſp. de potentiis notionalibus. Secundo, etſi id deeſſet: virtuſque, & ratio agendi eſſet extranea, & alterius, nunquam perſonæ intelligi, nedum eſſe poſſunt, vt affectu aliquo aut cognitione in ſua ferantur, quin ea actu habeant, ſine quibus in ſe non eſſent. Nemo autem ſperare poteſt, quod nunquam, ſiue à ſe, ſiue ab alio non poteſt concipere vt obtinendum, ſed neceſſario poſſeſſum: quare nemo à Deo ſperare eſſentiam, & exiſtentiam ſuam poteſt, quamvis à Deo ipſam recipiat, receptamque cognoſcat: quia nuſquam eam, quin à Deo eam præhabeat, poteſt agnoſcere: quare pro nullo priori vt obtinendam: quod neceſſarium docu t Auguſtinus epiſt. 122. ad Probam, & exemplo oui explicuit in quo *vita pulli nondum eſt, ſed futura eſt, ſpes enim, quæ videtur non eſt ſpes*: ergò arduitas, & contingentiam ſperandæ rei importat, & obtinendæ, vndecumque proueniat, difficultatem, ſiue ex aliena, ſiue ex propria voluntate, ſiue ex ipſius obiecti natura: quare opera executu etiam à ſe difficilia ſperare quis poteſt: etiam tunc, cum ea exequi ſerio apud ſe ſtatuit: quia in eo propoſito perſtare contra exequendi operis laborem & difficultatem, quibus mutabilis deterreatur voluntas, & abſiſtat, nec facile eſt, nec è præſenti propoſito ſecurum.

3. Hinc ad Deum à Beatis diſparitas: conſtat etenim Beatis in ſtatu viæ gloria, & beatitudo, vt obtinenda, ac ſuppoſito etiam Dei adiutorio, labore multo, ingentibus difficultatibus non ſicca fronte ſuperatis obtinenda propoſita fuit: talibus tantiſque, vt ni Dei gratia ſupernaturali iuuaretur, Deique exhortationibus alliceretur, ac eius obfirmaretur promiſſis rei, & magnitudine, & difficultatum horrore perterrita eorum voluntas, nuſquam, vt ea ſperaret, erigeretur: quare, & actui, & habitui ſpei tunc in illis locus pro eo ſtatu fuit, & proprium obiectum: manetque in patria gloriæ poſſeſſæ arduitas, & difficultas, non obtinendæ, ſed obtentæ arduitate ſuperata: ac proindè eius cum ea difficultate ſuperata obtentæ gaudium Beatis eſt, quod materiæ obtentæ reſpicit arduitatem, quam obtinendæ, & actus, & habitus ſpei vt obiectum & materiam propriam reſpiciebat: quare & actus ſpei, & habitus in Beatis eſſe poteſt: ſiquidem eiuſdem facultatis, & virtutis eſt, & bonum obtinendum ſub aliqua ratione deſiderare, & de eodem ſub eadem ratione obtento gaudere. Perſonis autem diuinis procedentibus, etſi intrinſeca bona, vt à ſe obtinenda, ac non, vt obtenta neceſſario poſſent cognoſcere, nuſquam tamen, vt difficulter, & cum arduitate à producentibus obtinenda cognoſci ab ipſis poſſent: vbi ergo proprium illis obiectum, capaxque materia ſpei?

4. Porrò ſperandæ rei obtinendæ difficultatem, arduitatem illam & obiectum proprium, & materiam neceſſariam ſpei conſtituere, vt non expreſſerit inſinuauit ſatis Ariſtoteles 1. Rhetor. cap. 11. med. cap. 12. lib. 2. cap. 11. lib. de memor. & reminiſc. c. 1. Cicero lib. 4. Tuſcul. ſignificauit etiam Paulus ad Rom. 8. *ſpes autem, quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis quid ſperat?* Ecce conditionem boni obtinendi, nec dum obtenti. Pergit Apoſtolus. *Si autem, quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.* Patientia autem non niſi laboris, & difficultatis alicuius eſt, vt bene ibi Sanctus Thomas lect. 5. ante med. & Chryſoſtom. ſerm. 14. duab. colum. ante morale. *Nam, velut laborantem Deus ac fatigatum, innumeraque paſſum ita ſperantem coronat: ipſum enim patientiæ nomen ſudorum eſt, multaque tolerantia.* Coſonant Theophil. & & Theodor. & Ambroſ. ad eum locum & Auguſt. Pſal. 91. ſub init. *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam exſectamus. Patientia neceſſaria eſt, quamdiu veniat quod promiſſum eſt. Nemo autem patiens eſt in bonis, quando dicitur patiens eſto moleſtia eſt ſub qua te Deus vult eſſe fortem*: fuſior in eadem ſententia ſerm. 25. de verbis Apoſt. citato cap. 10. de ciuit. Dei cap. 25. poſt med. lib. 15. cap. 18, toto: quare voluntatis ſpes ſimilis eſt ſpei appetitus ſenſitiui iuxta S.Thom. 1. part. q. 81. art. 2. corp. quæſtione 82. articulo 5. qui per iraſcibilem ad difficultates & impedimenta eius quod appetit inſurgit.

5. Verum quid de arduitate ad ſpem propriè talem tenendum: & an præterea ex ſpecifica ſua ratione in bonum obtinendum, non ſolum pro naturæ, ſed temporis etiam poſteriori, ac proindè in futurum: vt futurum ferri voluntas debeat, vt propriè illud ſperet? ad controuerſiam de actibus voluntatis, & controuerſias de actibus ſupernaturalibus ſpectat: vbi de eis egimus latè. Ad præſens autem ſatis eſt obtinendi boni conditio, qua procedentium diuinarum perſonarum ſpes reiicitur: & de eius obtinendi arduitate conditio altera, qua etiam excluditur ſpes, producentium perſonarum: atque vniuerſim à Dei (cui nihil arduum eſſe poteſt) aut difficile affectibus erga creaturas, vnde illa Iſai. 5. de populi ſui vinea: *Expectaui, vt faceret vuas; fecit autem labruſcas*: & cap. 30. *expectat Dominus, vt miſereatur veſtri*, non ſpem propriam ſignificat, ſed deſiderium, ex quo ea ad vineæ fructum, & populi pœnitentiam, ac reſipiſcentiam appoſuit, ac ſi ſperaret, quibus vtrumque cordate ſperaretur, ab eo, qui ſperare propriè poſſet.

## QVÆSTIO III.

### *De affectus diuini erga creata efficacia abſoluta & ſecundum quid, ſiue ex parte ſua, non noſtri, antecedente, beneplaciti, nec ſolum ſigni.*

PLVRES Patrum, & Theologorum loquendi modos propoſuimus explicandos prius, vt quæſtio de re abſque æquiuocationis diſcrimine definiatur: voluntas ſigni ea in Deo dicitur, quæ Dei erga aliquid faciendum voluntas non eſt, ſed ſic ex his, quæ Deus agit appareat, eiuſmodi ſunt pænales ſcripturæ communicationes, & præcepta de iis, quæ Deus videtur præcipere, quæ tamen fieri Deus abſolutè prohibet: tandem, vel impedit fieri; vt præcepta ſono tenus ſolum, Abrahamo filij Iſaac immolatio, & ſimilia, in quibus, non rei, quæ præcepta ſonat, voluntas in Deo eſt, ſed alterius vt obedientiæ Abraham executæ, non Iſaaci necis beneplaciti voluntas eſt; quam Deus verè, nec ſolum apparenter, & ſonotenus habet: voluntas antecedens ea dicitur, quæ exercitium creaturæ præſertim rationalis non expectat, vt abſolutè à Deo concipiatur: conſequens, quæ exercitium, & operationem creaturæ expectat, vt pœnæ abſolutæ infligendæ, vel conferendi præmij executiua voluntas: & hæc quandocunque profectò alterutrum exequitur Deus, beneplaciti voluntas, nec ſolum ſigni dicitur: ſcio alias antecedentis, & conſequentis voluntatis Dei acceptiones à recentioribus nonnullis, vt ſuam quiſque ſententiam æquiuocationibus ſaltem obſcuret, & vocibus tueatur, quas omnes ad longum referre, & inſectari prolixum eſſet, ac Theologiæ inutile immò & perniciosum. Hanc acceptionem à Patribus, & Scriptura olim Theologia accepit in ea diſputamus: reſponderi ſolummodo volumus reliquis neglectis acceptionibus & vocabulariis nouis: efficax abſolutè talis ea eſt, quæ de ſeſe obiecti voliti

abſolutam

abſolutam exiſtentiam affert, ipſique connectitur: ita, vt abſque illius abſoluta exiſtentia eiuſmodi voluntatem ab intrinſeco efficacem eſſe repugnet, voluntas autem efficax ſecundum quid ea eſt, quæ, quatenus ex parte Dei eſt, vult non perfunctoriè quidem, ſed ſerio, fieri, non tamen abſoluta efficacia: quia obiectum ita efficaciter ex parte ſui à Deo volitum à libertate arbitrij creati, liberaque eius determinatione, vel proxime, vel remotè pendet: vt noſtra honeſta operatio, eiuſque præmium ad quod honeſta operatio ſupponitur: & hæc quidem vtraque efficax abſolutè vel ſecundum quid, ſiue ex parte Dei reſpectu ſui obiecti beneplaciti ſemper voluntas eſt, & antecedens, cum illud factum non ſupponat, ſed in illud tendat faciendum. Aliter duplex voluntas hæc nominari à Patribus, & Theologis ſolet, nempè abſolutè efficax voluntas, vel ſolum efficax ex parte obiecti, ſiue obiectiuè conditionata: nempè volo efficaciter, & ſerio pœnitentiam, & ſalutem, talemve honeſtam operationem Petri, ſi tamen ipſe velit. Harum omnium locutionum, & nominum diuinæ erga creata voluntatis ſenſum, & ſignificata innumera Patrum & Theologorum teſtimonia dedit Ruiz de volunt. d. 19. 20. & 21. à quibus nunc abſtineo, quia nulla de eis iam apud Scholaſticos Doctores dubitatio, ſed vnanimis potius in eis conſenſio.

---

## CERTAMEN I.

### *Faciliorum expeditio, & vnicæ Theologicæ hac in re difficultatis propoſitio, & Doctorum ſententiæ.*

1. DE voluntatis beneplaciti antecedenti & abſolutè efficaci erga creata, vel à ſolo Deo facta, vel cauſarum ſecundarum naturalium etiam interuentu, & operatione abſque vlla creati arbitrij dependentia dari in Deo nemo dubitat: cum nihil in rebus ni eiuſmodi voluntas in Deo natura præcedat, poni poſſit: ſolum poſſet alicui dubium ſuboriri, an reſpectu eorum dari in Deo poſſit, deturve de facto voluntas efficax ſolummodo ſecundum quid, ſiue quatenus ex parte ſui eſt, ſiue ex parte obiecti conditionata, ſi talis cauſa naturalis, aut naturalis conditio independenter prorſus à creati arbitrij, & libertatis exercitio naturaliter poneretur: qua in re negandum cenſeo: tum, quia implicat Deum velle quantum ex ſe eſt, & ſuæ ditionis, poteſtatis refert, aliquid efficaciter, quin eo ipſo formaliter, quæ à ſolo ſuo arbitrio, & poteſtate pendent, velit efficaciter abſolutè apponere, ni iam appoſita abſolutè ſupponat: vti ad decretum efficax antecedens, & abſolutum effectuum naturalium executiuum ſupponit. Tum etiam: quia effectum naturalem ſub conditione cauſæ, & conditionis, ad quam naturaliter conſequitur, forè, nil aliud eſt, quam effectus ab eis cauſa, & conditione poſſibilitas, vt diximus ſæpè controuerſia de ſcientia d. 4. de mediis naturalibus diuinæ ſcientiæ, & controu. præſente d. 2. quæſt 3. ſtatum medium inter puræ poſſibilitatis, & futuritionis abſolutæ rerum explicantes & conſtituentes: quod ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ omni Dei actuali voluntati antecedentem ſpectat: quare nulla conditionatæ eius futuritionis conſtituendæ voluntas efficax ex parte Dei poteſt apponi, quæ de iam conſtituto ante ipſam, voluntatem non ſit, & eius efficaciæ repugnans: ſi effectus ſuis cauſis & conditionibus naturalibus, reſpectu quarum contingentiam non habent, comparetur.

2. Secus, ſi ad decretum diuinum, cui illæ in operando ſubduntur, referantur, res habet: quare, & liberi ſunt reſpectu Dei, qui cauſarum conditionumque naturalium determinationi, & exigentiæ poteſt non annuere, vt eiſdem locis obſeruabamus: ac proinde, & ſtatum conditionatum, & contingentem reſpectu Dei poſſunt habere: cum tamen ea contingentia mutuato à libertate diuinorum decretorum, & omninò extrinſecus habeant, ad futuritionis conditionatæ diuinorum decretorum examen quæſtio deuoluetur, quod præſentis quæſtionis, de voluntate Dei efficaci ex parte ſubiecti, & conditionata ex parte obiecti, erga purè creata non eſt: cum tantumdem ſit, atque examinare, an Deus poſſit anteacto efficaciter decernere ſe habiturum decretum concurrendi, ſi cauſæ, & conditiones naturales apponantur; id autem omnino otioſum eſſet, & ſuperfluum, neque Theologica diſputatione dignum: in qua dicito, quod lubeat: ego huiuſmodi decreti conditionati repugnantiam non video, ſicut neque ad Theologicum aliquid quæſtionis eius vtilitatem: illud ſolum moneo: eiuſmodi decreto præconcepto abſolutum decretum concurrendi purificata conditione liberè à Deo concipi non poſſe.

3. De efficaci vero voluntate Dei abſoluta efficaci inquam antecedente de arbitrij creati operationibus duo in quæſtionem adduci poſſent. Primum: an neceſſaria ſit, vt creati arbitrij operatio libera abſolutè apponatur & exiſtat de quo tota controu. de decreto concurrendi agentes, fuſo calamo pro negatiua concluſione contra decreta prædeterminatiua Thomiſtica ſcripſimus vt plura hic ſcribendi nec opus ſit nec facultas. Secundum: an etſi non neceſſaria ad eiuſmodi creatas liberas operationes abſolutè ab arbitrio exercendas abſoluta Dei voluntas efficax non ſit, ſupererogatoria tamen dari pro Dei libito poſſit, ac de facto detur? & id quidem è pura ſcientia ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate operationis creatæ à creato arbitrio, an ſaltem ſcientia de futuritione conditionata eius operationis ab ipſo, ſi hæc vel illa conditio indifferens, nec voluntatè ad eius operationem in actu primo anteacto determinans, ſeu prædeterminans, v. g. auxilium hoc de ſe indifferens conferatur? Hac tamen de re longa, & acris erit, & oportunior diſceptatio d. 5. loco propriori de voluntate antecedente diuina efficaci ex parte Dei ſolummodo ſiue ſecundum quid, vel ex parte obiecti conditionata erga arbitrij creati operationes liberas, qua nimirum Deus efficaciter decernat, vt ſint non abſolutè, ſed ſi talis conditio apponatur, poteſt etiam in diſputationem venire duplici in caſu. Primus, ſi conditio neque exercitium liberum creati arbitrij ſit, ab eove in ſui poſitione dependeat: & hoc caſu duplex adhuc poteſt quæſtio excitari. Prima: an ex neceſſitate, & indigentia conditionati illius ſtatus futuritionis nimirum operationis illius ab arbitrio creato, ſi tale auxilium donetur: quia ſtatus eiuſmodi futuritionis, niſi voluntate efficaci Dei abſoluta ſubiectiuè, & obiectiuè conditionata vel formaliter conſtituatur, vel effectiuè cauſetur? & hanc quidem quæſtionem negatiuè decidimus controu. 2. de ſcientia d. 5. quæſt. 2. contra Thomiſtas eoſdem. Secundò: an etſi non ex neceſſitate ſupererogatoriè pro Dei arbitrio voluntas efficax abſoluta ex parte actus dari in Deo poſſit de conditionata operationis illius creatæ futuritione ſuper quo negatiuè reſpondimus, etiam hic diſp. 2. q. 4. certam. 3. à num. 2. ad 6. incluſiuè: quia nec pro illo ſtatu libera operatio foret, neq; pro abſoluto ſi conditio purificetur.

4. Secundus quæſtionis de voluntate antecedente Dei ex parte ſua ſiue ſecundum quid efficaci vel conditionata ex parte obiecti erga creata caſus eſt: cum conditio ſub qua à Deo efficaciter eiuſmodi futurum creatum decernitur eſt, vel exercitium liberum arbitrij creati, vel aliquid ab eo dependens: quo in caſu exercitij illius, & operationis arbitrij creati libertatem non euerti perſpicuum eſt: quandoquidem exercita in hypotheſi ad id, quod ſub illa fore à Deo decernitur, ſuppoſita eſt. Porrò de hac quæſtione egimus etiam, vniuerſim, tamen, vt locus petebat, & patiebatur proximè citato certam. 4. concluſ. 4. à num. 7. ad 10. incluſiuè vbi affirmatiuè reſpondemus, atque eiuſmodi eſſe Dei de hominum ſalute voluntatem attigimus num. 9. de qua ex inſtituto (vtpotè de re graui, atque ad Theologica plura deinceps definienda perutili) erit in præſentiarum agendum. Ne verò vel ſcripturæ, & Patrum, ac Theologorum hac in re locutiones lectoris iudicium turbent, aberraréque faciant à vero animaduerto: non omnem voluntatem Dei antecedentem ſecundum quid, ſiue quatenus ex parte Dei eſt, efficacem de liberis creatis effectibus conditionatis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

natis obiectis ſiue ex parte obiecti, vel obiectiuè conditionatam eſſe, vt nonnulli vtrumque confundere videntur, ſiquidem ex parte ſua vult Deus conſenſum noſtrum liberum, atque ex parte ſui ſerio, & quandoque efficaciter: cuius voluntas ſeria, & efficax ſecundum quid quandoque, ſiue ex parte ſui, ex qua nobis, & auxilia confert, & ſuum offert concurſum à Patribus & Scholaſticis, quaſi conditionati eſſet obiecti: ſic explicari ſolet: *volo quatenus ex me eſt, vt concurſu hoc oblato & auxilio conſentias ſi velis*: cum tamen efficax hæc ſecundum quid, ſiue ex parte Dei de obiecto conditionato non ſit: quia velle noſtrum, quod pro conditione ponitur idem, quod conſenſus noſter, quod ſub ea conditione amari, ac deſiderari à Deo dicitur omnino eſt; idem autem ſub conditione ſui conditionatum verum eſſe nequit: cum ergo vtraque voluntas, & efficax ſecundum quid & ex parte Dei cum conditionata obiectiuè voluntate identificetur oportet vt conditio à conditionato re ipſa diſtinguatur: idcircò, cum proximè dicebam conditionem in ſecundo hoc ſenſu quæſtionis de voluntate conditionata obiectiuè, & efficaci Dei voluntate ex parte ſui illi identificata conditionem debere eſſe, vel exercitium liberum creatum, vel illud ſupponentem intelligendum eſt diſtinctam realiter eſſe debere è conditionato obiecto, quod ſub illa forè adeo efficaciter ſecundum quid, ſiue ex parte ſui deſideratur: vti eſt ſalus noſtra ſi rectè viuamus, & auxilia gratiæ, congrua præſertim, ſi ea debita à Deo petamus.

5. Secundà: vt alias æquiuocationes in Patrum & Theologorum genuina intelligentia vitemus animaduerto: non omnem voluntatem ſeriam Dei abſolutam ex parte ſubiecti ſiue ſubiectiuè, & obiectiuè conditionatam efficacem ex parte Dei, & ſecundum quid eſſe debere vt bene Ruiz diſputatione 19. ſectione duodecima, numero tertio, & expreſſius Arriaga de voluntate d. 25. ſectione tertia, numero 24. §. *Secundo ergo & melius*, etſi enim præfinitiones actuum noſtrorum liberorum, & omnium, quæ illos ſupponunt, ante ipſorum præuiſionem, etiam regulatæ, ac directæ per ſcientiam mediam (vt vero mihi ſimilius eſt) repugnent: quare, & conditionata efficax voluntas obiectiuè ab exercitio libero voluntatis creatæ independenter: poteſt tamen dari in Deo duplex voluntas, & affectus actiuus de obiecto, quod ſub conditione libera noſtri exercitij, vel ipſum ſupponente, velit. Altera adeo efficax, vt vi eius determinetur diuina voluntas, Deuſque ipſe ſub illa, vt media omnia, quæ ſub ipſius dominio, & poteſtate ſint, vt conditionatum illud de facto obtineatur, adhibeat: quæ determinatio ſiue efficacia determinatiua cum collatione mediorum à Deo ſolummodò connectitur; non autem cum obiecto ipſo, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè ſolum efficaciter ex parte Dei volito: quod, quia non ſatis diſtinctè ab aſſertorib. præfinitionum regulatarum per ſcientiam mediam de conſenſu conditionato liberè futuro, in huiuſmodi de eo in ſeipſo præfinitiones inciderunt, vt d. 5. videbimus. Alter vero affectus Dei actiuus etiam, & ſerius, quatenus ex parte ſua eſt, in Deo eſſe poteſt, quo, non determinetur, cogaturve eius voluntas ad omnia media; quæ in ſua poteſtate & dominio habet, vt volitum obiectum obtineat, de ſuo apponat, & exequatur; ſed ea tamen præconcepta voluntate agatur, determineturque ad ea media de ſuo apponenda, quæ ſatis ſunt, debeatque apponere, ne, quominus volitum à ſe obiectum obtineatur, per ipſum ſtet. Duplicis huius affectus poſſibilitas in Deo ex iis, quæ in nobis experimur in primis probatur. Nam quandoque adeo efficaciter erga aliquid afficimur, ipſumque appetimus, & intendimus, vt ad illud, ſiue per nos, ſiue per alios obtinendum, nihil non, quod noſtræ poteſtatis ſit, moueamus; quandoque vero non ita ardenter appetimus, vt moueamus ad eius conſequutionem omnia, ſed aliqua, quæ ſufficientia ſint, ne nimis in eius aſſequutione ſimus, videamurque omiſſi: & ratio in vtriſque præſertim in Deo eſt: quia nullum creatum bonum determinat, cogitve voluntatem, niſi quandoque creatam ex inaduertentia & inconſideratione in ſubitis ac indeliberatis motibus, qui proindè in Deum neceſſario omniſcium non cadit ad ſui amorem intenſiſſimum, ſiu ſummè vehementem & efficacem: præſertim diuinam, quæ quoad ſubſtantiam, & modum in creatis, & limitatis bonis proſequendis perfectiſſima gaudet libertate, vt diximus: quare & omnia, ſingula, omnibuſque, & ſingulis modis, quibus amabilia ſunt proſequi pro libito, vel non proſequi poteſt. Hæc pro doctrinæ claritate voluntate Dei erga omnium hominum ſalutem (ad quam ſpeciatim, ſimilium voluntatum Dei, exemplum hac quæſtione ponemus) memoria retinenda ſunt.

6. Igitur in difficultate de voluntate Dei erga hominum rectam vitam, & ſalutem Gregorius in 1. d. 47. quæſtione vnica fine docet voluntatem antecedentem omnem in Deo circa ſalutem, rectamque vitam efficacem eſſe non tamen ſalutis, noſtræ quæ rectæ vitæ in ſe ipſis, ſed auxiliorum ad quæ ſolum terminatur & id quidem reſpectu prædeſtinatorum tantum; reſpectu reproborum nequidem conferendi facultatem & poteſtatem recte viuendi conſequendi ſalutem voluntatem eſſe: quod poſtremum ſingularitatis notam, vt minimum meretur: quoad primum vero conuenit ipſi cum Scoto d. 46. quæſtione vnica, Maiore ibidem, & d. 45. quæſtione etiam vnica, vbi Marſilius quoque articulo primo, Okam & Gabriel d. 46. quæſtione 1. Heruæ, quæſtione ſecunda, Caietan. in 1. ad Timot. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri*. Driedo de concord. lib. arbitrij, cum Prædeſt. parte prima, capite quarto, ad 2. etſi etiam reſpectu reproborum voluntate antecedente concedi eis facultatem rectam vitam & ſalutem conſequendi contra Gregorium admittunt: quare ij omnes non eſſe in Deo voluntatem antecedentem ſalutis, quæ beneplaciti erga ipſam ſit, ſed ſigni ſolum affirmant, etſi circa media & facultatem illam conſequendi reſpectu prædeſtinatorum Gregorius, reliqui etiam reſpectu reproborum beneplaciti, & verè talem eſſe concedant. Ante ipſos id ipſum ſentit Magiſter in 1. d. 46. §. *Nunc videre* hanc voluntatem ſalutis; omnium ait non eſſe voluntatem quæ ſit ipſe Deus cum tamen d. 45. & 47. de omni voluntate beneplaciti ipſum Deum eſſe conſtanter affirmet. Conſentiunt Zumel prima parte, quæſtione decimanona, articulo ſexto, ſua quæſtione ſecunda, concluſione quarta. Aluarez d. 33. expoſitione quarta, & 3. & d. 34. concluſione quarta d. 109. & 113. eam metaphoricam ſalutis voluntatem Dei quia ſigni ſolum vocantes, quamvis voluntatum ſalutis ſecundum quid eam quandoque appellent, qua voce vera apud Doctores alios voluntas ſalutis omnium voluntas beneplaciti ſignificatur & aſſeritur, quod Arriagam decepit eo ab hac opinione exciperet, ſicuti & Bañezium prima parte, quæſtione decimanona, eadem ſententia tribuitur Alberto, Alexandro Bonauent. & Durando, quia id aliquando eorum verba ſonant: verum longè alia eorum mens fuit: quandoquidem aſſerunt adultorum omnium ſalutem voluntate vera ac beneplaciti Deum velle & paruulorum ſub conditione Baptiſmi vt videre eſt in Alberto, prima parte, quæſtione 79. metaph. 1. articulo 2. quæſt. incidente & vltima particula. Alexand. prima parte, quæſtione 36. memb. 2. Bonauent. in 1. d. 46. articulo primo, quæſtione prima d. 47. art. 1. quæſt. 2. non ſolum conditionalem ſalutis omnium voluntatem Dei admittens, ſed & velleitatem quæ non ſemper impletur ac proinde quæ aliquid intendit quod non obtineat: quare velleitatis nomine ineſficax deſiderium intelligit nec ſolam complacentiam quæ vulgo admittitur de ſalutis poſſibilitate videre etiam eſt in Durando in 1. d. 46. quæſtione prima, ſine d. 41. quæſtione prima, etſi durius ſonet imò & Driedo citatus voluntatem conditionalem Dei erga reproborum etiam ſalutem ex Ambroſio, & Bonauentura approbat & admittit.

7. Communis ſententia, cum apud antiquos, tum apud Recentiores Theologos eſt Deum habere veram, ac propriam, & beneplaciti nec ſolum ſigni ſalutis omnium hominum rectæque eorum vitæ voluntatem antecedentem nullo operationum arbitrij noſtri vſu & exercitio libero expectato, vt eam ſalutis noſtræ



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

voluntatem concipiat; eam tamen efficacem abſolutè non eſſe: ſed ſecundum quid ſolum ſeu tantum inefficacem, ita Albertus Alexand. Bonauent. proximè S.Thom. 1.part. quæſt.19.articulo 6. ad 1.Carthuſ. in 1. d.46. quæſt. 1. Richard. art. 1. quæſt. 1. Durand. & Driedo vbi proximè Sotus ad Rom.9. digreſſ. de Prædeſt. à pagina 277. Cord. 1. quæſtionar 456. notab. 1. Valent. 1. part. quæſt.19. punct.2. Molina citat. quæſt 19. d.1. art. 6. folio 2. & 3. Vaſquez d.83. cap.3. & 4. Soar. opuſcul. de libertate Dei d.1. ſect.2.num.10. Herize de voluntate d.20. cap. 3.num.19. Ruiz d.19. 20. 21. Arriaga d. 25. ſect.3. tamque omnes communiter: circa eius voluntatis antecedentis efficaciam dubium eſſe nequit efficacem erga omnium vniuerſim rectam vitam, & ſalutem eſſe non poſſe cum plures & à vitæ rectitudine & ſalute conſequenda deficiant: quod fortè Doctores pro oppoſita citatos ſententia decepit, vt minus bene loquerentur voluntatis diuinæ efficaciam ſolummodo attendentes. An verò vna Dei voluntas erga omnium rectam vitam, & ſingulorum ſalutem, quaſi vno ictu feratur inefficaciter, an potius ſit aggregatum voluntatum, quibus rectam vitam vniuſcuiuſque omnium ſingulatim Deus intendat? non explicatur à Doctoribus: quia (vt æſtimo) ſupponitur poſtremum; cum ita ſingulatim de recta vita, & ſalute cuiuſque noſtrum voluntate, & prouidentia ſua curet: ac proinde generalis, & ſupernaturalis alia ſuperfluat, nec Deum magis ad has ſingulatim concipendas (quibus generales ſcripturæ, Patrum, & Theologorum locutiones, & ſententiæ de voluntate Dei erga omnium hominum rectam vitam, & ſalutem proprietate ſermonis verificantur) agat, reddatve promptiorem. An verò etſi erga reproborum ſalutem vera hæc Dei voluntas inefficax abſolutè ſit, erga prædeſtinatorum omnium, vel aliquorum eximiè prædeſtinatorum (quos dicunt) ſalutem ſit efficax? huius loci deciſio non eſt, ſed diſputationis ſextæ: vbi an liberæ noſtræ actiones, aliáque ab eis dependentia præfiniri intendive ante abſolutam earum præuiſionem efficaciter poſſint, examinabimus: denique an voluntas hæc Dei ſaltem inefficax de recta vita, & ſalute hominum conditionata propriè ſit, erit hic examinandum, & citati quidem pro hac poſtrema ſententia de Dei voluntate erga vtrumque conditionatam propriè eſſe videntur docere: cum indiſcriminatim, tam de rectæ vitæ, quam de ſalutis noſtræ voluntate Patres loquentes recitent: præſertim Ruiz d. 20. ferè tota. Nos autem diſtinctius de his, & aliis, ne doctrinæ veritas plurium complicatione obſcuretur.

---

## CERTAMEN II.

*Voluntas vera, nec ſolum ſigni, antecedens de vita omnium, etiam reproborum, recta, & ſalute etſi non abſolutè efficax: ſed inefficax ex Scriptura, & Patribus in Deo ſtatuitur.*

1. DEum de ſe ac voluntate ſua non ſolius complacentiæ de noſtra recta vita, & ſalute (poſſibili ſecundum præciſiuæ poſſibilitatis ſuæ ſtatum iuxta plurium ſententiam, cui ſupra abnuebamus, ſed actiuo affectu, ſeu deſiderio in vtriuſque exiſtentiam, & antecedenti ac primaria ſua voluntate ferri adeo in veteri & nouo teſtamento expreſſum eſt, vt mirer ea de re apud doctos Catholicos quæſtionem extitiſſe. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ* (id eſt ex me ſolum, & voluntatis, bonitatiſque meæ propenſione conceptæ) *eſt mors impij, & non, vt conuertatur à viis ſuis & viuat?* fine: *Nolo mortem morientis, dicit Dominus; reuertimini & viuite*, cap.33. *viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat: conuertimini, conuertimini, & quare moriemini.* Conuerſio autem quam Deus velle dicitur non poteſtas ſe conuertendi, ſed conuerſionis actus ipſe eſt, ad quem, cum tempus aliquod è vita Deus non exceperit, *ſalutem* (inquit Celeſt. Pap. epiſt.2. ad Epiſcop. Gall. cap.2.) *homini adimit qui mortis tempore pœnitentiam denegauerit*, quæ Dei de conuerſione & ſalute peccatoris voluntas, & deſiderium omnium fidelium cordibus, & iudicio inſita ſatis probatur ex illa mulieris Thecuitis ſententia 2. Reg.4. tanquam ex ſtata hac de ea Dei voluntate ſententia è Dei imitatione, vt Abſoloni parceret, ac reconciliaretur, Patrem Dauidem ſuadentis. *Neque vult Deus perire animam ſed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus eſt*, Sap.11. *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam*; (intentam vtique ab ipſo) Deus dicitur & capite duodecimo: *O quam bonus, & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus! ideoque eos, qui exerrant partibus corripis: & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine*; quod, vt aſſequeretur, tam Ægyptios obſtinatos (de quibus capite præcedenti egerat) plagis prius reducere, quam Palæſtinos (de quibus eo cap.) paulatim, & per partes puniendo ab idololatria reuocare contendit: maximaque de eorum reſipiſcentia adhibita cura, & prouidentia benigniſſima eorum conuerſione ita prouidiſſe dicitur Deus ibi, vt eorum exemplo, *cum magna reuerentia diſponis nos*, vniuerſim textus concludit: ſunt prætereà pleraque in ſententiam hanc veteris paginæ teſtimonia.

2. Neque verò in nouo teſtamento pauciora Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*, ſcilicet Prophetarum prædicationibus, & nunc corporis ſui præſentia, velut alarum fomento *calorem, vt pullis ſuis, vitæ immortalis indulgens, & in volatum, velut noua generatione, producens*: inquit Hilar. can.24. fine, & poſt pauca. *Huius igitur ac pœnè terrenæ auis more congregare eos intra ſe voluit, vt qui conditione naſcendi iam fuiſſent, nunc alterius generationis ortu, & calore confouentis renati in cæleſte regnum, tanquam pennatis corporibus euolarent, quod quia noluerunt, &c.* Itaque oppoſitam huic noſtræ nolitioni voluntatem qua intra ſe Deus nos reciperet, & in regnum cæleſte volaremus à nobis obtinere Deus voluit; nec tamen ab illis obtinuit, quia ad actum, quem volebat, voluit etiam nobis libertatis iura ſeruari. Irenæus 4. aduerſ. Heræſ. cap.71. *quod ait: quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti veterem legem libertatis hominis manifeſtauit, qui liberum fecit eum ab initio habentem poteſtatem ſuam, ſicut ſuam animam ad vtendum ſententia (voluntate) Dei voluntariè, & non coactè*: ſimilia habet cap.72. Chryſoſtom. tom.3. homil.9. de laud. D. Pauli. *Ipſe quidem vult omnes ſaluos fieri; at non omnium voluntas eius voluntati obſequitur, neque ab eo aliquis cogitur: vnde, & ad Hieruſalem ſic dicit quoties volui, &c. Vides quod Dominus nos ſaluare vult: nos autem, quia nos ei non adiungimus, maneamus in interitu.* Matth.18. *ſic: non eſt voluntas ante Patrem veſtrum qui in cælis eſt: vt pereat vnus de puſillis iſtis*, vbi Hieron. *quotieſcumque perierit aliquis ex puſillis, non voluntate Patris perit.* S. Thom. *minus dicit, & plus ſignificat: quia voluntas eius eſt vt ſaluentur*, ac proinde parabolam de centum ouibus, & vna errante antè quæſita à Paſtore, & inuenta, atque eius humeris reducta præmiſerat. 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*: in eandem ſententiam frequens ſcripſit Paulus 1. Teſſal.4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione: vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore*: quod actuale virtutis exercitium & opus eſt. Ad Roman.1. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Tu autem ſecundum duritiam tuam, &c.* vbi Hieronym. *cum poſſit prohibere peccantem, vel inferre vindictam, mauult conuerti ad pœnitentiam.* Aliiſque prætermiſſis veniamus ad celeberrimum eius teſtimoniū 1.ad Timot.2 omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: in quo ſententiam noſtram

noſtram expreſsè contineri Chryſoſtomus nuper, non ſolum docebat, ſed vti exploratum ſuppoſuit: ſicuti & Auguſtinus de ſpiritu & litt. cap.33. poſt init. ſic quærens, ſi dono Dei etiam hoc (voluntas credendi) *quare non omnibus cum omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: inferiuſculè: *Vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium: quo vel bene, vel male vtentes iuſtiſſime iudicentur* & 3. de libero arbitrio cap.19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras. Nec illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Repetit cap.6. de natura, & gratia.

3. Sed contendunt tamen Recentiores aliquot, qui reſpectu ſalutis reproborum ſolum ſigni non autem beneplaciti antecedentem voluntatem Deo concedunt, Auguſtinum in hoc ſenſu ſæpius, & conſtantius, & locum Pauli hunc, & ſimilia alia intellexiſſe. Nam contra Iulianum cap.8. & cap.103. Enchir. epiſt.107. ad vitalem, & Hypognoſt apud eum lib.6. ſub finem ſenſum eſſe ait: neminem ſaluari niſi quem Deus ſaluari vult ſicut Ioan.1. dicitur *illuminat omnem hominem* (qui illuminatur) *venientem in hunc modum*: quia nemo illuminatur, non ab ipſo cui interpretationi eius Aſſeclæ Patres conſentiunt. Fulgent. de Incarnat & grat. cap.32. lib.2. de remiſſ. peccator. ad Euthym. Proſper de lib. arbitr. Rufin. ad capita gallor. obiect.4. lib.2 de vocat. gentium Anſelm. & Beda ad eum Pauli locum: quod explicat rurſus Auguſt. de prædeſt. Sanctor. cap.8. exemplo Magiſtri vnici litterarum ciuitatis alicuius, qui, etſi plures eius ciuitatis litteras non diſcant, tamen omnes ibi litteras docere dicitur, nempè qui litteras diſcunt: quia nemo non ab illo litteras ibi docetur, ac diſcit, & c.97. enchir. eodem ſenſu, & exemplo explicat illud Matth.23. *quoties volui congregare filios tuos, &c.* cuius interpretationis plures habet ex grauioribus antiquis Scolaſticis ſequaces. Secundò eundem locum interpretatur de corrept. & grat. cap.14. de omnibus hominibus non indiuiduè, ſed ſecundum genus ſexus, & ſtatus, ætatis, & conditionis ſumptis, de quolibet aliquem vt dicitur: *Omne animal fuiſſe in Arca Noë*, & Luc.11. de Phariſæis *decimatis omne olus*, & 1. Corint. 10. *ſicut ego omnibus per omnia placeo*: quia inquit *placebat omni generi hominum, quod Chriſti congregabat Eccleſia*, quam interpretationem repetit cap.103. Enchir. ſequunturque Proſper 2. de vocat. gent. cap.1. & 10. confirmans ex illo Matth.10. *eritis odio omnibus hominibus.* Fulgent. de Incarnat. & grat. c.31. confirmans ex Pſalm.85. *Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te*, & ad Coloſſ.1. *Reconciliari omnia in ipſum*, Anſelm. item, & Beda quæ innumeris aliis ſcripturæ locis poſſet confirmari. Tertiò cap.15. de corrept. & grat. ait: dici poſſe velle, quia velle nos facit, ſalutem, *quemadmodum miſiſſe Spiritum filij ſui clamantem. Abba Pater dicitur: id eſt nos clamare facientem*: quod placet Hugoni Victorino tractatu 1. ſumm. cap. 12. ante med. Cæterùm qui plures loco interpretationes adhibet non alia alius tractat, ni retractare vna aliam dicat: quia illa magis placeat, & aliis contradicat; at S. Auguſt. etiam, cum duas ex his tribus poſtremas interpretationes adhibiturus erat cap.14. & 15. de corrept. & grat. monet init. capitis: alias à ſe alibi datas: quo probat potius, non retractat ex eis vllam, *quod ſcriptum* (inquit) *eſt quod vult omnes homines ſaluos fieri, nec tamen omnes ſalui fiant: multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemorauimus*, maximè præcipuam, &, quam, cum eum locum exponens tam de voluntate Dei erga ſalutem reproborum etiam agens, frequentiùs è propria ſententia tradiderat.

4. Indè conſtat huic interpretationi tres obiectas non aduerſari: alioqui cum huius memor eſſet: ſi alicui tandem aduerſæ acquieſceret, eam tunc retractaret. Secundò ex ipſis interpretationibus patet Auguſtinum eis ſolum contendere verificari aliquo ſenſu vero poſſe Apoſtoli verba, relata ad prædeſtinatos ſolum, & de voluntate conſequente ipſorum conſenſum, & efficaci, vt notauit S. Thom. 1. ad Timot. 2. lect. 1. poſt med. & in 1. d.46. quæſt. 1. art.1. ad 1. Damaſceni interpretationem de voluntare antecedente ſalutis omnium, etiam reproborum cum obiectis hiſce concordans his verbis: *ſecundum Damaſcenum verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedente, & non de conſequente, ſed ſecundum Auguſtinum* (his aliis expoſitionibus) *intelligitur, vt ſit de conſequente: vnde exponit eam dupliciter, vno modo, vt ſit diſtributio accommoda pro omnibus, qui ſaluantur, &c.* & ſanè tertia ex obiectis Auguſtini expoſitio, adhuc voluntatem Dei antecedentem beneplaciti de ſalute prædeſtinatorum (vt aduerſarij obiectantes contendunt) non probat: ſiquidem ſola voluntate beneplaciti de auxiliorum collatione eius veritas ſaluatur, quæ pro eo priori ſalutis voluntas ſigni tantum voluntas ſit: quare non ipſorum ſed ſingulari Aureoli ſententiæ fauet: immò vt doctè obſeruat ex Sancto Thoma, Ruiz d. 19. ſect. 8. num.14. tres iſtæ expoſitiones obiectæ cum illa prima, conſtanti, & præcipua apud Auguſtinum recitata n. 2. fine: plenam ſententiæ Apoſtoli intelligentiam conſtituunt, ita enim S. Thom. quæſt. 23. de art. 2. corp. antecedentem, & conſequentem Dei voluntatem explicuit; *in qualibet actione eſt aliquid conſiderandum ex parte agentis, & aliquid ex parte recipientis: & ſicut agens eſt prius facto, & principalius, ita id, quod eſt ex parte agentis eſt prius naturaliter eo, quod eſt ex parte facti: ſicut patet in operatione naturæ: quod ex parte virtutis formatiuæ, quæ eſt in ſemine eſt quod animal perfectum producatur, ſed ex parte materiæ recipientis, quæ quando eſt indiſpoſita, contingit quandoque, quod non producitur perfectum animal: ſicuti contingit in partibus monſtruoſis*: ita inquit euenire Dei voluntati antecedenti propria, & beneplaciti de omnium ſalute, nec tamen omnis impedimenti remotiua, & inde ortæ gratiæ ſuæ: vt ex prauitate arbitrij creati reproborum ſuum intentum effectum non ſortiatur: tuncque Deus id, cuius eſt capax, bonitatis per punitiuam iuſtitiam in ea ponit. Auguſtiniani verò doctrina, Patres Proſper Anſelm. Fulgent. & Beda, etſi prædictis his expoſitionibus Auguſtini conſenſerint; multoties, & à nobis recitatæ num.2. conſenſerunt: cui, vt vidimus non aduerſantur: eorum loca iam ſubiiciemus. Quod ipſum, & Scholaſticis antiquis vſu venit, qui cum reliquis illam, & poſtremo referunt & admittunt, tanquam aptiorem, & in qua demum quieſcunt: vt videre in eis eſt, ſpeciatim in S. Thom. 1.p. q.19. ad 1. & 1 ad Timot.2. lect.1. poſt med. ſcio afferri etiam ab aduerſariis quartam eius loci expoſitionem tanquam Auguſtini, & aliorum Patrum de voluntate antecedente ſigni, & ſecundum quid, quæ nullum in eis fundamentum habet: &, ſi particula *ſecundum quid* proprie accipiatur, voluntati ſigni antecedenti, quæ ſolum metaphorica, & impropria voluntas eſt, contradicit.

5. Sed noſtrum hunc eius loci & aliorum ſcripturæ productorum ſenſum conſtantem apud Auguſtinum, & eius Aſſeclas Patres ſemper fuiſſe; alios vero ſenſus non, niſi hoc noſtro retento, datos ab eis eſſe, & admiſſos vlterius eorum teſtimoniis coaceruatis oſtendamus. Auguſtinus ad articulos ſibi falſò impoſitos, vel potius Proſper ad obiect. Vincent. obiect. 7. *Quod Deus, nec velit, nec poſſit, quod plures Chriſtiani ſaluentur*, reſpondet, quamdiu voluntate praua ſua mali ſunt, ſaluari nolunt, Deum nec velle illos ſaluare, neque in ſenſu compoſito poſſe. *Sed nullo*, inquit, *modo credendum eſt huiuſmodi homines in hanc deſperationem ex Dei voluntate cecidiſſe, cum potius alleuet Dominus omnes, qui corruunt, & erigat omnes alliſos*: iuxt. Pſalm. 144. obiect. 16. *Quod fideles plures, cum orant, fiat voluntas tua, contra ſe petant, vt cadant, & ruant: quia voluntas Dei hæc eſt, vt æterna morte pereant*, reſpondet, *Non hoc veritas dicit, quod hæc ſit voluntas Dei, vt fideles & ſancti à fide, atque innocentia ruant, & pereant in æternum; ſed veritas dicit. Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. Quod ergo Pater filio dedit, filius omnino non perdit: idem enim dicit, omne quod dat mihi Pater venit ad me, & non eijciam foras.* De his autem, qui non perſeuerant, concludit. *Hi, cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, ſed ex ſua voluntate deficiunt.* Ad cap.7. Gallorum. *Qui-*

*buſdam filiis, quos regenerauit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit: ob hoc perſeuerantiam non dederit, quia è maſſa perditionis præſcientia Dei, & prædeſtinatione non ſunt diſcreti: ſi hoc vult affirmare, quod Deus huiuſmodi homines in bonis, quæ donauerat, noluerit permanere, & ipſe eis cauſa auerſionis extiterit, contra iuſtitiam Dei ſentit.* Quod, etſi contra præfinitionem ad materiale peccati ſit vrgentiſſimum teſtimonium; tamen, & huic nolitioni contrariam de eorum ſalute voluntatem Dei ex ſupra datis, & dandis eius teſtimoniis ſuadet. Maximè, cum ad caput immediatum 8. ſubiungat: *qui dicit, quod non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine gratiæ Dei: qui & omnes homines vult ſaluos fieri atque ad agnitionem veritatis venire:* concluditque: *vt, qui ſaluantur, ideo ſalui fiant, quia eos Deus voluit ſaluos fieri; & qui pereunt ideo pereant, quia perire meruerunt:* Non quia Dei de ſalute ipſorum, cui non annuerunt, voluntas defecit: in eandem ſententiam de generali Dei erga omnium, & ſingulorum hominum, etiam infidelium ſalutem ſcribit 1. de vocatione gent. à cap. 4. lib. 2. toto, maximè cap. 9. 10. 14. 23. 24. 25. & 28. ex cuius fine hæc ſolum tranſcribam: *ſicut, qui crediderunt, iuuantur, vt in fide maneant, ſic etiam, qui non crediderunt, iuuantur, vt credant: & quemadmodum illi in ſua habent poteſtate, vt exeant: ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant:* Fitque manifeſtum, quod diuerſis atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *ſed quid veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur.* Qua in ſententia multus præterea eſt cap. 30, & 31. & cap. 104. Enchir. Auguſt. ipſe voluntatem ſaluandi omnes (quam ad prædeſtinatos reſtrinxiſſe viſus erat c. 103.) omnino abſolutum explicat eſſe. Nam eam, quam ſolum ex parte Dei, quaſi conditionatam, atque à creato arbitrio ſuſpenſam, quoad effectum, etiam reſpectu eorum in quibus effectum non habuit, vt hic contendimus: quapropter inquit cap. 104. *etiam primum hominem Deus in ea ſalute, in qua conditus erat cuſtodire voluiſſet, eumque opportuno tempore poſt genitos filios ſine vlla interpoſitione mortis ad meliora perducere: vbi iam non ſolum peccatum committere, ſed neque voluntatem poſſet habere peccandi, ſi ad permanendum ſine peccato, ſicut factus fuerat, perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciſſet: quia vero eum male vſurum eſſe libero arbitrio, hoc eſt peccaturum eſſe, præſciebat ad hoc potius præparauit voluntatem ſuam: vt bene ipſe faceret, etiam de malefaciente.*

6. Anſelmus in id Matthæi 26. *fiat voluntas tua:* Scribit, *duæ ſunt voluntates in Deo. Alia miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, quæ vult omnes homines ſaluos fieri: quod tamen in libera voluntate eorum poſitum eſt,* &c. inferius. *In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi ſcilicet quæ eſt ex miſericordia, cum enim vellet, prauos etiam ſaluare, ſi vellent: tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati: orat ergo, vt Deus faciat alios terrenos tales, qui nullo modo voluntati Dei reſiſtant:* & libro de voluntate Dei longè à medio. *Voluntas approbans in Deo eſt, quæ vult omnes homines ſaluos fieri: quoniam nullum prohibet, quantum ad ſe, ſaluum fieri; immò, ſi quis ad hoc laborat approbat.* fine: *vult omnes homines ſaluos fieri; id eſt non cogit aliquem damnari*, qui, vt dixerat, eum etiam ex ſe ſaluare volebat, qui periit. De Fulgentij, & Bedæ, qui etiam Auguſtiniani doctrina ſunt, mente, & eorum locorum intelligentia eadem ex aliis argumentis Theologicis, quæ pro eadem veritate ex ipſis efformauimus conſtabit inferius: ſicuti & de Proſpero & Auguſtino iam ab Eccleſiæ initio inolitam hanc fuiſſe Patribus ſententiam, & eiſdem argumentis ab ipſis attactis poſtmodum oſtendemus. Nunc autem eis teſtimoniis, quibus veritatem hanc abſque argumentis ſincere, atque ad putum nobis tradiderunt.

7. Dionyſius cap. 4. de diuin. nomin. toto ex ſumma bonitate, pulchritudine, & amore ſummo Dei voluntatis eius, in ea, quæ creatis omnibus, nullo excepto, bona, cum phyſicè, tum moraliter rationalibus bona ſunt, colligit, ac ſtatuit: idque ſolis exemplo explicat, & confirmat ſub init. *Si aliquis inquiens non participat hoc, non infirmitatis, aut prauitatis eſt illuminatiuæ ipſius diſtributionis; ſed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem:* ſubinferius: *Similitudinem luminis cum fulgore immittens vniuerſis plurificas fontani ipſius radij traditiones, & ſicut omnia ad ſeipſum vocans: vnde & callos dicitur*, id eſt pulchrum à vocando, circa med. *ipſe omnium cauſa propter bonitatis exceſſum cuncta amat, cuncta facit, cuncta perficit, cuncta continet, cuncta conuertit:* cap. 8. ſic explicat ad diuinam, in quantum etiam iuſta eſt, bonitatem pertinere omnium liberationem, & ſalutem. *Omnia exiſtentia ſaluatoria omnium bonitate, à caſu propriorum bonorum liberat: ſecundum quod vniuſcuiuſque eorum, quæ ſaluantur, ſuſcipit natura: Propter quod, & liberationem ipſam nominant Theologi, in quantum non ſit vere exiſtentia ad nihil eſſe cadere, & in quantum etſi aliquid ad peccatum & inordinatum fallatur, & minorationem quandam patiatur propriorum bonorum, & hac à paſſione, & infirmitate, & priuatione liberat. implens minus habens, & pene infirmitatem ſupportans, & ſuſcitans à malo: magis autem ſtatuens in bono, & percuſſum bonum adimplens, & ordinans, & ſtatuens & ordinans in ordinationem ipſius, &c.* Quin, ſcilicet, bonitas, & voluntas ipſius nos, quantum ex ſe eſt, in bono ſtatuens noſtro abuſu vincatur: lege à medio ad finem capitis. & commentarium S. Thom. ibi. His ſimilia ex ſumma Dei pace cap 11, deducit creatis cunctis, quatenus capacia ſunt, & inter ſe, & cum Deo velle, & communicare pacem: idque etiam, cum peccatis noſtris à Deo diſcordaueramus reconcilians nos, & omnia ſibi, voluntate ſibi ſua hac pacifica, & benigna prouidentia ſua in Chriſto, & per Chriſtum de cæleſti Hierarch. c. 9. *immenſum, & infinitum diuini luminis pelagus ſemper paratum eſt, & patet omnibus ad participandum.*

8. Sanctus Ignatius epiſt. 6. ad Philadelphum: ſub init. ait infideles etiam, & ſceleratos monendos, hortandoſque ad pœnitentiam, *Amator enim hominum eſt Deus noſter: & vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; propter quod, & ſolem ſuum facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos; cuius vtilitatis etiam Dominus volens eſſe imitatores dicit: eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Irenæus lib. 4. c. 71. *vis à Deo non fit: ſed bona ſententia* (voluntas, quæ animi ſententia vſitata phraſi dicitur) *adeſt illi ſemper: & propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus: poſuit autem in homine poteſtatem electionis.* Ephrem. Syrus. *Deus animarum noſtrarum vulnera ſanat.* ſermon. de vita Relig. atque Monaſt. pag. 6. *Spretúſque à nobis mirabiliter ſuffert: omnes enim nos ſaluari cupit, & omnes regni ſui hæredes, & poſſeſſores fieri deſiderat,* & ſerm. 1. de compunctione cordis perpenſa Dei in omnes benignitate, qua quotidiè largè beneficiis omnes afficit, gratiaque ſua omnium corda viſitat verſus finem concludit: *cernis quanto deſiderio ſalutem noſtram ſitiat.* Clem. Alex. 1. Pædag. cap. 8. Deum omnia & maximè hominem amare ait: *& nihil aliud facere Deum, quam prodeſſe: & homini Deum in omnibus, & ſua ſponte curam gerere, & ſollicitum eſſe de illo:* ac latè ibi atque alibi frequenter docet non bonis ſolum datis, ſed ſuppliciis inflictis hominis ſalutem intendere. Damaſc. dialogo contra Manichæos pagina penult. de Iudice quovis ait: de ſe pœnæ inflictæ cauſam non eſſe, ſed potius delinquentem ſuis delictis: *quamvis enim iudicet, non tamen primariæ voluntatis* (qua vult non fieri, quæ puniat) *ratione iudicat ſed ſecundariæ. Primaria enim voluntas eſt id, quod quiſpiam ex ſeipſo vult. Secundaria autem id, quod eorum, quæ contingunt cauſa vult. Primarie namque Deus ex ſe ipſo vult omnes homines ſaluos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire; cum autem peccamus vtilitatis noſtræ cauſa nos caſtigare vult, ità primaria Dei voluntas bonitatis eſt; ſecundaria iuſtitiæ,* & 2. de fide cap. 29. fine ait, *Deum præſertim, præcedenterque velle omnes ſaluari, & regnum eius conſequi. Non enim ad puniendos nos plaſmauit, ſed, vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus; peccantes autem puniri vult, vt iuſtus. Dicitur igitur prima præcedens voluntas, & acceptatio ex ipſo exiſtens; ſecunda vero voluntas ſequens, &*

permiſſu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

permiſſio ex noſtra cauſa exiſtens. Non tacebo Auicennam 9. Metaph. cap. 6. longe à medio qui Theologicam hanc veritatem naturalem aſſecutus nomine etiam primæ voluntatis Dei, ſicuti Damaſcenus expreſſit. Non erat bonum permitti vtilitates frequentes, vel ſempiternas propter accidentia mala rara: igitur bonitates, quæ ſunt ex his rebus, fuerunt volitæ prima voluntate (Secundum modum, quo conuenit dicere Deum velle res) & fuit volitum malum, etiam ſecundum modum, qui eſt per accidens, & præſcitum fuit illud futurum neceſſario: nec tamen curatum eſt de eo: quare permiſſiue eſt volitum, vt ait cap. 7. & Damaſ. aiebat qui citato Dialogo inter. med. & fine dixerat, vt boni ſimus, tum ex Deo, tum ex nobis manat: Deus itaque, quod ſuarum partium eſt dat, vt bene ſimus; at nos &c. & ſubinferius: ipſe quippe omnibus, tum vt ſint, tum, vt bene, ac præclare ſint, præbet: ſolis nimirum inſtar, bonitatis ſuæ radios ad omnia opera ſua diffundens: &c. nec multo poſt: Ac ſane Deus, vt qui natura bonitate, ac miſericordia præſtat, peccatum non vult, nec mortem peccatoris, nec viuentium exitio delectatur, nec iræ affectu obſidetur, verum omnibus bona fundit.

9. Chryſoſtom. ſerm. 1. in epiſtol. ad Epheſ. iuxtà beneplacitum (inquit) voluntatis ſuæ: Hoc eſt: propterea, quod vehementer hoc vult, concupiſcentia eius (vt ita dicam) iſta eſt: vbique enim beneplacitum præcipua voluntas eſt: poſt pauca: beneplacitum igitur primariam voluntatem dicit: vehementem ſcilicet, & quæ cum deſiderio, & concupiſcentia ſit, quam habet erga nos: infra: Hoc eſt, vehementer concupiſcit, vehementer deſiderat noſtram ſalutem, & homil. 7. in Ioann. ad id; illum nat omnem hominem; ait. illuminat profecto, quantum in ipſo eſt. Siqui autem &c. & in 2. Geneſ. homil. 11. fine: & nos item, ſi voluerimus, quod noſtrum eſt, facere, nihil prohibebit eadem nos bona conſequi, liberalis enim Dominus, & vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quæ repetit ad idem caput tom. 1. homil. 21. inter med. & fin. ad Rom. 9. ſerm. 16. ſic de Pharaone. Tulit illum multa patientia ad pœnitentiam inducere volens. Niſi enim hoc voluiſſet, tandiu eum vtique non tuliſſet: & in caput idem de Iacob & Eſau. quantum ad Deum attinet ſalui fuiſſent omnes tribus Iſraël, imò, & omnes mortales & homil. 80. in Ioann. colum. 3. de Chriſto Domino, ac de virtute ſua diuina dictum ait: ego ſeruabam eos; & quos dediſti mihi, ego cuſtodiui & nemo ex eis periit niſi filius perditionis ſubditque, & nimirum ſolus ille tunc periit; ſed multi poſteà: dicit autem: nemo ex eis periit: id eſt, quantum eſt ex mea parte, non perdam, quod manifeſtius alibi dicit non eiiciam foras; ſi vero per ſe ipſos exilient, non ex neceſſitate ad me traho, lib. 1. de prouid. fine, quod non communiter ſolum omnium curam gerit, ſed ſeorſum ſingulorum audias licet dicentem: non eſt voluntas coram Patre meo, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis, de his dicens, qui in illum credunt: cupit ipſe quidem, & eos qui non credunt ſaluos fieri mutarique in melius, & credere, ſicut Paulus ait, vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & ipſe ad Iudæos. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

10. Cyrill. Alexand. lib. 11. in Ioann. cap. 21. poſt med. perditionem Iudæ propriæ voluntatis contra diuinam multis ponderans, ſic inter alia ait. Chriſtus, quantum ad ferendam opem illi attinuerit, ſeruaſſet hominem, niſi vltro ipſe in perditionem inſiluiſſet: gratia igitur in aliis effulſit, ſeruauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderant: ſic enim ſalutis noſtræ modus diſpoſitus eſt: & lib. 1. cap. 11. ſub init. obiectat, quomodo verbum erat lux vera illuminans mundum, ſi tandiu non illuminauit eum, & tandem magnam eius partem in tenebris reliquit? Hoc, ne quis obiicere poſſit, diuinitus intulit, & mundus ipſum non cognouit. Non verbum Dei ait, & æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet, illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura, quæ intelligendi acumine, vt natura Deum cognoſceret ſibi dato abuſa eſt, & vt prodiga ad creaturas vim inſpiciendi conuertit. Gregor. Nyſſen. de Orat. dominica in id, fiat voluntas tua ſub init. voluntas Dei ſalus hominum eſt: Orat. in cant. circa med. Natum eſt diuinæ voluntatis inſtitutum: vult enim Deus omnes homines fieri ſaluos, ac veritatis ad cognitionem venire, orat. catech. long. à med. cuius voluntas, & opus eorum eſt, quæ ſunt vitæ, à quo etiam homo deductus eſt ad vitam: conſonat Philo in cant. alluſitque poſtremo loco ad id Pſalm. 26. quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius quod Baſilius explicans de Deo etiam, dum prauos in hac vita punit. Medici etiam, dum aſperis medicamentis, ac ferri inciſionibus morbis corporis ægri occurrit, exemplo præmiſſo: hoc, inquit, Deus vult: hoc eſt vt omnes eius vitæ participes ſint; circumſtantiæ vero pœnarum, non ipſius voluntate fiunt, ſed pro merito eorum, qui peccauerunt inferuntur: vitam itaque Deus cuique propria voluntate tribuit; iram vero ſibi quiſque theſaurizat in die iræ, & reuelationis, & iuſti iudicij Dei. Vt hæc Deo videatur extranea; illa vero ſalutis noſtræ voluntas ſolum Deo propria, ac nomine voluntatis Dei intelligenda: quemadmodum id Orationis dominicæ fiat voluntas tua. Patres alij intelligunt: recitandi in argumento efformando ab Eccleſiæ oratione pro omnium, etiam ſceleratorum, & infidelium ſalute. Athanaſ. orat. contra idola pag. 2. ita quidem opifex rerum genus humanum conditum in eo ſtatu permanere voluit; ſed ipſi neglectu meliorum: &c. & lib. de humanit. Verbi eiuſque corpor. aduentu pag. 4. Ad iſtum igitur modum Deus hominem fecerat, & in incorruptibilitate perſeuerare volebat; homines autem: &c. ſimilia ſcribit Arnobius in Pſalm. 146. à med. & lib. 2. aduerſ. gent. verſ. med. Oecumenius in verba 1. ad Timoth. 2. ſi Deus vult, quare non fit? reſpondet: non fit, quia illi nolunt. Nihil enim ex neceſſitate facit in nobis Deus. Epiphan. hæreſ. 66. poſt epiſt. Marcelli pag. 3. Propter excellentem iuſtitiam, & eximiam bonitatem omnes, & omnia vtiliſſima eſſe voluit, & ſua bona omnibus propoſuit; iuxta permixtionem vero liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit, vt quiſque, quod voluerit, faciat.

11. Sed & latinorum Patrum eadem perpetuo ſententia fuit: vt partim ex datis Auguſtini, Proſperi, & aliorum teſtimoniis conſtat, pleniuſque ex ſubiiciendis conſtabit. Lactantius de ira Dei cap. 14. fine. Huius rei teſtis eſt Marcus Tullius in libris de legibus ita dicens: ſed omnium, quæ in Doctorum hominum in diſputatione verſantur, nihil profecto eſt probabilius, quam plane intelligi, nos ad iuſtitiam eſſe natos, quod, ſi eſt veriſſimum; Deus ergo vult omnes homines iuſtos eſſe: id eſt Deum & homines charos habere. Deum ſcilicet honorare, tanquam Patrem, hominem diligere, tanquam fratrem. Tertullian. 2. contra Marcionem Bonitas Dei prior ſecundum naturam; ſeueritas poſterior ſecundum cauſam illa ingenita; hæc accidens: illa edita, hæc adhibita. Nec natura enim in operata debuit continere bonitatem; nec cauſa diſſimulatam euaſiſſe ſeueritatem. Alteram ſibi, alteram rei Deus præſtitit & exhortatur, ad caſtitatem, voluntatem, qua nobis bona, & ſibi placita, & ſalutem Deus vult, meram, totam puram abſque inuoluntarij mixtura vocat; qua vero punit, aut mala permittit ob noſtram, non ipſi placitam, voluntatem, non totam, neque meram, ſed mixtam; ex indulgentia, inquit, eſt quodcunque permittitur: quæ, etſi ſine voluntate non eſt, quia tamen aliquam habet cauſam in loco, cui indulgetur: quaſi de inuita venit voluntate, paſſa cauſam ſui, quæ cogit voluntatem vide qualis ſit voluntas eius cuius altera ſit cauſa. Hieronym. ad id Malach. 1. Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum, ſcribit. Vult itaque primum Deus, vt Filij eius ſimus, & bonum voluntate faciamus; ſin hoc conſequi nolumus, vt ſaltem, ſeruos nos habeat, & à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus: & ad id Roman. 1. An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem: &c. cum poſſit prohibere peccantem, vel inferre vindictam, mauult conuerti ad pœnitentiam. Ambroſ. 1. de parad. cap. 8. ante medium Nec Iudæo omnes credituros ſciebat; & tamen ait. Non veni niſi ad oues perditas domus Iſraël: ergo non in mandante culpa eſt, ſed in præuaricante peccatum eſt: & quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quod omnes voluit liberare. Paulin. Epiſt. 1. ad Aprum. Hinc in omni loco plura quotidie mirabiliora ſolito ſigna crebreſcunt; vt omnem (quantum in ſe eſt) hominem ſaluum faciat.

*facit.* Bernard. ſerm. 5. in Natali Domini med. *Cui vult miſeretur; & quem vult indurat: ſed, quod miſeretur proprium eſt: ex ſe enim ſumit materiam. Nam quod punit & iudicat nos, eum quodammodo cogimus.* ex 18. Ezech. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij*: ac Deum miſericordiarum, ac non iudiciorum Patrem dici ait: *quod miſerendi cauſam, & originem ſumat ex proprio; iudicandi & vlciſcendi magis ex noſtro.* Laurent. Iuſtin. de contemptu mundi cap. 8. *vult, quantum in ipſo eſt omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quatenus in omnibus inueniat, quod coronet.* Laurent. Nouarienſ. Epiſcop. homil. 1. de pœnitent. colum. 3. Peccatores quoſuis ſperare his iubet. *O homo cognoſce te eſſe imaginem Dei: ſapientem te fecit Deus, prouidum animo, mente myſticum, ſenſibus ſublimem: & vult te non perdere, ſed ſaluare.* Laurent. Iuſtin. de Triumphali Chriſti agone cap. 25. init. *illos* ( peccatores ) *blanditiis allicit, muneribus ornat, premit flagellis, terret minis exhortationibus vocat, reuocat indulgentia, charitate trahit; quoniam, non vult peccatoris mortem, ſed, vt magis conuertatur & viuat. Nempe immanis non eſt, vt in morientium perditione lætetur; quin potius, vt ſaluentur per pœnitentiam, hominum peccata diſſimulat.*

## CERTAMEN III.

### *Pro eadem veritate teſtimonia alia, & Theologica ex Patribus argumenta nonnulla.*

1. HAnc ipſam erga omnium ſalutem rectamque vitam Dei de ſuo antecedentem voluntatem, atque ex parte ſui actiuam vtriuſque, & ſecundum quid proinde, non abſolute efficacem Patres iidem aſſerunt; dum conditionatam obiectiue eſſe explicant, *ſi velimus* ſcilicet: quod licet reſpectu noſtri iuſti, rectique conſenſus proprie de obiecto conditionato non ſit vt obſeruauimus certam. 1. numer. 4. tamen eo loquendi modo aptiſſime explicatur voluntatis Dei ex parte ſua abſolutè præconceptæ de recta vita, & honeſto noſtro conſenſu antecedentia, cum nondum conſenſus noſter abſolutè acceſſerat, ſed quaſi in hypotheſi, & ſuſpenſe manebat, de ſalutis voluntate antecedente diuina ſub conditione rectæ noſtræ vitæ ex parte obiecti conditionatam propriam ex parte obiecti eſſe poſſe conſtat ex dictis ibidem, infraque eandem cum voluntate oppoſita de damnatione ſi in peccato deceſſerint homines, comparabimus. Ad inſtitutum Ambroſius in locum 1. ad Timoth. 2. rogat: *cur non omnes, quos vult Deus, ſaluentur.* Reſpondet autem: *In omni locutione ſenſus eſt: conditio latet*, quam ſic explicat: *vult enim Deus omnes ſaluos fieri, ſed ſi accedant ad eum. Non enim, ſic vult, ut nolentes ſaluentur; ſed vult illos ſaluari, ſi & ipſi uelint. Nam vtique, qui legem omnibus, nullum excepit à ſalute. Nunquid non melius idcirco proponit in publico, ut omnes ſe oſtendat velle ſanare, ſi tamen ab ægris requiratur.* eandem ſententiam Pauli ibidem explicat Hieronym. *ſi ipſi tamen vocati Deo conſentire voluerint.* Cyrill. Alexand. tom. 2. lib. 3. in Iſai. ad id cap. 28. *diſcite audire*: eandem ſententiam eodem pacto declarat qui ( Deus ) *ſeruare poteſt* ( de lege ordinaria ) *ſiquidem velint ſeruatoris noſtri verbis parere*: idem oſtendit Athanaſ. ſerm. de paſſione, & cruce Domini ex interrogatione Chriſti ad cæcum, & lunaticum, *ſi crederent*, vt eos ſanaret. Auguſt. ad illud Rom. 11. *vide ergo bonitatem* ( bonam Dei voluntatem ) *& ſeueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt ſeueritatem; in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate; alioquin, & tu excideris; ſed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*: itá exponit cap. 27. contra Adimantum Manich. *Simul etiam oſtendit, in noſtra poteſtate eſſe, vt vel inſeri bonitati ipſius, vel excidi ſeueritate, mereamur*: quod defendit cap. 21. fine; ex eoque, Ambroſio, & Aymone: Magiſter in 1. d. 28. poſt med. & ſcholaſtici commentatores & alij relati à Ruiz, diſp. 20. ſectione prima à num. 15.

2. Non pauca alia Patrum teſtimonia pro conditionata obiectiue voluntate dedimus, etiam Auguſtini, Anſelmi, & aliorum, teſtimonia. Addendus Fulgentius lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 11. ad illud Iſai. 1. *Si volueritis, & audieritis* & id cap. 30. *ſi conuerſus fueris, & ingemueris ſaluus eris* ſubiungens: *in hoc teſtimonio conditionali Deus, & præcepto vtitur, & promiſſo: dicens quippe, ſi conuerſus fueris, oſtendit ex conuerſione conditionem ſalutis omninò pendere. Hæc eſt igitur inter Deum, hominemque conditio, inter iudicem, qui ſine iuſtitia miſericordiam prærogat, & peccatorem, qui miſericordiam iuſte iudicantis expectat.* Beda quæſt. 13. variar. fine: *ita Deus nobis bona ſua promittit, vt tamen labore noſtro acquirantur: quod ſi voluerimus laborem in omnibus, quæ bene agimus, nobis cooperabitur.* idem docet Paulus ad Rom. 8. illis verbis: *Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur vt & conglorificemur.* Conditionali ſenſu, iuxta Ambroſium, Chryſoſtom. Theodoretum, Bedam, ex Auguſtino vtramque gloſſam, Lyram, Cyprianum lib. 4. epiſtol. 1. lib. 3. ad Quirinum cap, 16. fine: Caiet. Salmeronem, Toletum, & reliquos interpretes: qui conditionalis obiectiuæ voluntatis Dei, & hominum etiam reproborum ſalute ſenſus moralis in illis Samuëlis verbis de regni perpetuitate in domo Saulis, ſi præceptum Dei non tranſgrederetur, contineri aſſeritur ab Abulenſi quæſtion. 12. Lyra & aliis interpretibus ad ea verba 1. Reg. *nec cuſtodiſti: quod ſi feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum.* His adde Enchirid. Colon. tit. de Sacram. pœnit. & cap. *Hu vero* folio 99. vbi ait: *Haberent impij, quod ſemper quererentur de ſua imbecillitate, niſi conſtaret Deum ſemper paratum eſſe ad infirmitatem noſtram per gratiam ſuam ſubleuandam, modo, ſi ipſi inſpiranti obedire, ac iuſtificanti, ac adiuuanti conſentire, & obſequi uelimus*: & cap. 5. fol. 90. dixerat: *Deus, tam eſt benignus, ac miſericors, vt non tantum uoluerit hominem non peccare; ſed, & uelit hominem lapſum atque adeò, quantumlibet criminoſum, reſurgere, atque reſipiſcere* &c.

3. Accedunt conditionalia plura fœdera à Deo cum Iſraëlitis in ita Exod. 19. deut. 29. 30. 2. Paralyp. 15. & Eccleſ. 15. Hierem. 17. & 18. Ezech. 18. Iſai. 1. & ſæpe alibi: quæ, quia in figura contingebant illis pactum Dei conditionatum de æterna ſalute omnibus hominibus concedenda ſub conditione quod eius mandata ſeruent continetur: Matth. 6. *ſi quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum* cap. 19. *ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata Dei.* Ioann. 8. *ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* cap. 12. *ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Apocalyp. 3. *ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum*: & alia quam plurima. Niſi autem Deus voluntatem antecedentem habeat, quantum ex ſe eſt, conferendi ſalutem, & vitam æternam, etſi dependentem à conditione noſtri boni vſus gratiæ ad ipſum ſufficientis à Deo præſtandæ, itá, vt per ipſum conditionis non adimpletio, non ſtet, promiſſiones illæ ſimulatæ, fraudulentæ, mendaceſque forent: vti de omni promiſſione, & pacto; cum animus faciendi, quod ex parte promittentis, & paciſcentis abeſt, communiter morales Doctores docent: id quod ſecus habet in pœnæ communicatione à Deo, & conditionata etiam voluntate ex parte obiecti puniendi homines; ſi non obedierint, aut in peccato deceſſerint. Neque enim ea conditionata obiectiue voluntas Dei ſupponit, deuoluitue voluntatem antecedentem pœnæ, quatenus eſt ex parte Dei, ſiue faciendi quantum in ipſo eſt, vt pœna infligatur: quare neque huius aliquatenus eſt actiua, ſicut de conditionata voluntate ſalutis ſcriptura, & Patres recitati teſtantur, ea vero voluntas pœnæ ex parte obiecti conditionata ſatis eſt ad eius indictionem, multoque magis ad eius paratam comminationem. Mitto alias rationes, quas perſequitur noſter Ruiz d. 20. ſect. 2. concl. 2. à numer. 4. ex natura pacti promiſſorij, ſiue promiſſionis, & pacti, ſeu contractus cuiuſuis conditionati cum aliquid ex parte

paciſcentis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

paſciſcentis agendum eſt, vt ponatur, & purificetur conditio; vel ſaltim poſſit abſolute purificari, & apponi, eæ enim rationes præfinitiones prædeterminatiuas ad materiale peccati efficaciter impugnant, actiuam vero, & efficacem ſecundum quid aliquatenus ex parte Dei antecedentem ſalutis noſtræ voluntatem non euincunt: quare eas omnes vtilius, & opportunius inſtruximus tom. 1. de Deo vno controu 3. d. 2. vt ex ibi dictis claret, atque ex proxime dicendis conſtabit: illud ſatis nunc fuerit denotare (ne illas quis contra noſtram concluſionem arripiat) vi pacti ſolum excludi voluntatem antecedentem impediendi, quantum ex parte paciſcentis eſt, purificationem conditionis, & claudi voluntatem faciendi, quod ex parte ſua ſatis ſit, vt purificetur conditio, ſi purificatio ab eius etiam voluntate, & arbitrio neceſſario pendeat.

4. Sed quoniam voluntatem hanc, & antecedenter actiuam ſalutis noſtræ; ſiue aliquatenus exparte Dei efficacem eſſe docuimus, atque adeò, & appoſitiuam aliquorum, quæ ex parte Dei neceſſaria ſunt ad conditionis, ſub qua conditionate volita à Deo, promiſſaque nobis eſt noſtra æterna ſalus: quia conditionis purificatio, imò, & eius purificandæ abſoluta poſſibilitas à Deo ſalutem noſtram ſub ea conditione, & volente, & promittente neceſſario dependet: nonnulla tum contra antecedentiam eius voluntatis, & aliqualem eius ex parte Dei efficaciam, & actiuitatem, quæ abſoluta ſalutis noſtræ efficacia non ſit, ſed ſub conditione non abſolute futuræ opponenda, ac diluenda erunt: vt clarior doctrinæ veritas euadat & circa poſtremum dices, deſiderij inefficaciam imperfectionem eſſe, & quæ de non obtinendo triſtitiam poſſit generare, de non obtento de facto generet deſideranti: item ſolum eius eſt, qui effectum conſequi non poteſt: vt voluntas inefficax mercatoris ſeruandi merces, ſi ceſſet tempeſtas, & naufragij periculum: ex qua illas de facto ſeruaret, ſi citra illud poſſet, vt poteſt Deus omnes homines ſaluare, nullo ſui damno ſi vellet. Reſpondetur deſiderium inefficax generare deſideranti de non obtento triſtitiam, cum defectu potentiæ, inuitusque illud non aſſequitur; ſecus, cum non ex defectu potentiæ ſed, quia non ita efficaciter voluit, vt poterat, vt de facto aſſequeretur, ob motiua alia, quæ habuit: quod ipſum in exemplo cernitur Mercatoris. Tertia imperfectio eſt repugnantia voluntatis huius conditionatæ de ſalute reproborum: tum cum alia conditionata (quam admiſimus) de eorum æterna damnatione ſi in peccato decedant: tum cum voluntate abſoluta efficaci de eorum damnatione. Reſpondetur inter vtramque mere conditionate conſideratam, cum ſub oppoſitis conditionibus ſint, neque repugnantiæ vmbram eſſe: quatenus vero in voluntate ſalutis, ſi homines non tranſgrediantur, atque in gratia obeant, continetur deſiderium actiuum, etſi non abſolute efficax, quo, quatenus ex ſe eſt Deus abſolute illam etiam reprobis deſiderat (cuius ſimilis de conditionata damnatione antecedens minimè adeſt) aliquatenus ipſi repugnat abſoluta damnationis voluntas efficax Dei, non tamen abſolutè (vt patet cum voluntas ſalutis ſit, quatenus ex Deo eſt, damnationis, quia nos abſolute peccauimus) indeque aliquid hæc inuoluntarij habet, & quod coactionis nomine in ſcriptura, & Patribus ſignificetur vt infra oſtendemus. Hæc autem inuoluntarietas, cum neque ex defectu aliquo rationis, poteſtatis, aut paſſionis, aut coactionis, metuſve ab extrinſeco illati, Deo accidat in voluntate efficaci damnandi reprobos ob ſcelera; ſed ab exigentia obiecti, quod mixtum aliquid mali habet tum in peccato puniendo, quod Deus odit, tum in priuatione gratiæ, & gloriæ nullam dicit in Deo imperfectionem, ſicuti nec repugnantiam qualem qualem earum voluntatum, imò vero maxime, & diuinæ iuſtitiæ perfectionem commendat: quæ neque ob præconceptum de ſe ſalutis eorum deſiderium à rectæ rationis, & iudicij dictamine deflectat; nec minus bonitatis, & amoris diuini commendat; quod ea inuoluntarietate ad ſupplicia veniat, cum eo ſcelera noſtra ipſum trahunt.

5. Quarto obiicitur ex epiſtola decretali Agathon. Pap. apud 6. Synod. Conſtantinopol. Action. 4. diſtinguentis voluntatem Chriſti humanam à diuina: quod hæc ſemper impleatur, ſecus illa ex Marci 7. *voluit late re & non potuit*: Si autem conditionalis, & inefficax diuina, ſicut, & humana, admittatur: nullum erit inter eas diſcrimen. Nam efficax abſoluta tam diuina quam humana Chriſti domini impletur, inefficax ſolum, & conditionata neutra impleta eſt, nec opus eſt impleri, niſi conditionis purificatione. Reſpondetur diſcrimen aſſignatum ab Agathone ibi fuiſſe in ratione ob quam diuina ſemper impleri debeat, atque impleatur; ſecus humana in Chriſto: nempe, quia hæc illius poteſtati ſubordinetur: quare nec de ſe effectum ſortiatur, niſi annuente diuina: hæc non ideò non impletur; ſed quia ipſa, de ſe, impleri non vult, quod ſolum inefficaciter vult; ſiue quod conditionate vult; non autem non impleta conditione vult, quod ex epiſtolæ contextu toto, & illa eius parte, ex qua aduerſarij obiectionem deſumunt, aperte conſtat, quæ ſic habet. *Ergo nec ille omnium conditor, ac Redemptor, de quo dicitur omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, cuius velle hoc eſt quod poſſe.* &c. Quinto dicunt: voluntatem inefficacem, & ſub conditione, ſiue ſuſpenſe, ac dependenter à voluntate alterius eſſe velleitatem, & ignauiam ſapere volentis alicuius euentum ſine ſuis labore & expenſis, quæ Deum proinde non decet. Reſpondetur quoad nomen *velleitatis* ab antiquis, & Recentioribus hanc Dei voluntatem ità non ſemel nominari. Sed quia ſubiectiue atque de præſenti abſolutè (etſi non abſolute efficax eſt) non per ſubiunctiuum *vellem*, ſeu *vellet* ex quo velleitas deriuatur, ſed per indicatiuum præſens *volo*, ſeu *vult*, hæc Dei voluntas aptius, propriuſque explicatur: vt ſimilem humanitatis ſuæ voluntatem de præſenti Chriſtus Dominus Matth. 26. explicuit: *Non, ſicut ego volo, ſed, ſicut tu.* Nec ignauiam redolet, cum ita volens apponat, quæ exparte ſua requiruntur, vt effectum poſſit, ab alterius etiam arbitrio abſolute obtinere: vti Deo in hac efficaci, & dependenter à creato arbitrio noſtro conditionata voluntate euenit.

6. Denique contra Serietatem huius voluntatis Dei, quantum ex parte ſui, de hominum omnium ſalutè opponitur argumentum difficile de damnatione abſoluta reproborum: qui enim ſeriò alicuius ſalutem vult, etſi dependenter ab eius voluntate libera, habetque in ſua poteſtate media, quibus eius voluntatem quoquo verſum flectat vt velit, neque impedimentum apponatur, purificetque conditionem ac ea media apponenda voluntatis illius ſerietate, etenim, quatenus ex parte ſerio deſiderantis eſt, determinatus ad id debet manere, ſi vere eam ſeriam voluntatem de obtinendo aliquo, dependenter adhuc à libera alterius voluntate, conceperit: quo enim pacto verificabitur illum abſolute, & ſerio, quatenus exparte ipſius, & quantum in ipſo eſt, velle, & deſiderare illud obtinere, dependenter adhuc à voluntate, & libero conſenſu alterius, ſi media aliqua, quibus, & conſenſus alterius liber, & illud aliud eo abſolute obtinendum obtineatur, quæque in eius poteſtate ſunt, non apponit; ſed intra illam, & in ſeipſo reſeruat? eo enim ipſo non velle abſolutè, nec deſiderare ſeriò, quantum in ipſo eſt, illud obtinere videtur, conuinci. Atqui Deus habet in ſua poteſtate media, quibus de facto flectat in conſenſum, & pœnitentiam finalem, ſub cuius conditione reproborum (quorum etiam ſalutem velle dicitur) voluntates, eaque non apponit, ſed potius intra ſe, ſuamque poteſtatem clauſa relinquit, ac reſeruat: ergo non habet voluntatem ſeriam, & quatenus exparte ſui, & quantum in ipſo eſt, ſalutis eorũ, dependenter adhuc ab eorum libero conſenſu & voluntate. Confirmatur: quia determinatio ad ea media præſtãda ex libere præconcepta voluntate ſeria illa de eorum ſalute; nec libertati diuinæ voluntatis, nec abſoluto eius in ſupernaturalia dona, & gratiam dominio aduerſatur: cum abſolute eam voluntatem ſeriam, & inde ortam determinationem ad ea gratiæ ſuæ dona, ac media apponenda non habere potuerit, ac libere habuerit: ſed neque exparte libertatis creatæ (cuius ſeruandæ gratiæ volita dependenter ab eius conſenſu libero hominum ſalus iuxta Patres recitatos à Deo fuit) in determinatione Dei ad ea media, & dona gratiæ ſuæ neceſſario apponenda vlla eſt repugnantia: cum ea media, nec reproborum libertatem tollerent, neque antecedenter ad conſenſum eorum determinarent voluntates: maximè in noſtra ſententia de efficacia auxiliorum extrinſeca ſolum

à conſenſus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

à conſenſus ipſius conditionata futuritione. Reſpondetur ex dictis certam. 1. numero 5. à med. libertatis diuinæ perfectionem imminuendam, ſi omnis actiua, ac ſeria (quatenus etiam ex ipſo eſt) voluntas alicuius creati obtinendi deberet ipſum determinare ad omnia media, quæ ſuæ poteſtatis, & dominij ſunt, nec ſolum ad præciſe neceſſaria apponenda. Non enim haberet, quoad ardorem etiam, & vehementiam, deſiderandi bona creata libertatem, quam creaturæ ipſæ habent, ardentius etiam, vel remiſſius ea, ſerio quidem, velle, ac deſiderare pro libito poſſet. Atque hac ſolum ratione eximium deſiderium Dei erga homines, eorumque æternam ſalutem tot paſſionis, mortiſque dominicæ expenſis ſtatim pro noſtra concluſione ponderandis, à Deo procuratam cum impœnitentia finali reproborum ad concordiam reduci poſſe cenſeo. Alia, quæ ex cauſa reprobationis, & remedio paruulorum abſque baptiſmo cum originali decedentium obiici poterant ad controuerſ. 7. d. vlt. de reprobatione ſpectant: vbi, aliis neceſſario ad eorum ſolutionem præmittendis, prius examinatis, explicatis atque ſtatutis, facilius, clariuſque ſoluentur.

7 Aliud argumentum in ſcriptura, & Patribus pro noſtra concluſione continetur, ità illud inſtruo, quiſquis vult medium formaliter, vt medium, vult finem, ſiue id, ad quod medium eſt: atqui Deus vult medium imò plura, & maxima media ad omnium hominum ſalutem, qua media ad illam formaliter: ergo vult hominum omnium ſalutem: Maior eſt Philoſophorum & Theologorum omnium Axioma fixum, perſpicuum. Nam medium, qua medium non niſi propter finem, magis, & primario, ac principalius volitum amari poteſt: quare minor ſola probatione opus habet: facili tamen, imprimis enim Chriſti Domini paſſionem pro omnium vniuerſim, & ſingulatim hominum ſalute, ac ſubinde, vt medium formaliter ad eam in omnibus conſequendam, volitam appoſitamque à Deo fuiſſe expreſſum eſt 1. Corinth. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* 2. Corinth. 5. *ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* & 1. ad Timotth. 2. eius ſententiæ, *vult omnes homines ſaluos fieri*: rationem ſubdit: *vnus enim Deus omnium, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quæ ratio nil probat, niſi Deus, & Chriſtus Ieſus paſſionem ſuam, vt medium formaliter ad omnium ſalutem, & redemptionem à morte culpæ ad mortem, & ſalutem voluerit, & obtulerit: nam ex medio materialiter ſolum volito, ac non ob hoc obtinendum, ſed vel aliud, vel medium ipſum male huius amor colligitur, in id Patres conſpirant. Ambr. ita explicat id Pſal. 118. *Miſericordia Domini plena eſt terra:* ſer. 8. *Sol iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum generali beneficio ipſe ſe fraudat ſicut* (adiungit) *qui ſoli claudit feneſtram* de quo ad 1. Corinth. 11. ſub finem, *quid eſt niſi pœnas dare mortis domini? occiſus enim eſt pro iis, qui beneficium eius irritum faciunt,* & ita pro omnibus pro vnoquoque ſolum eiuſque ſalute in ſolidum totam affectu ſuo paſſionem impenderit, vt idem ait: 16. de Iacob & vita beata poſt med. in id Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illam*: Sic pendens: *Pro omnibus: vt oſtenderet, quod ità omnes diligat, vt dilectiſſimum filium pro ſingulis traderet.* Chryſoſt. in 2. ad Galat. *ad id, qui dilexit me deditque ſemet-ipſum pro me*: dicens: *declarat hoc quoque par eſſe, vt quiſque noſtrum non minus agat gratias Chriſto, quam ſi ob ipſum ſolum adueniſſet. Neque enim recuſaturus erat, vel ob vnum tantum exhibere diſpenſationem: adeò ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit quomodo diligit orbem vniuerſum.* Plura ex ipſo in hanc ſententiam dedimus controu. de Incarnat. de huius adæquato fine diſputantes.

8. Vt autem vehemens eſſe hoc deſiderium Dei de omnium, quantumuis perditorum, ſalute, ex quo adeò præſtantia ſuorum laborum, & paſſionis media appoſuit, Dominus explicaret, ſitis, ac famis inſtar (quæ ardentes cibi, & potus appetentiæ ſunt) eſſe declarauit Pſalm. 68. *dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto,* & Ioann. *Mulier da mihi bibere:* & in cruce pendens *ſitio*: cap. 19. vt explicant Auguſt. in Pſalm. verba, & tract. 15. in Ioan. col. 3. & tract. 119. S. Thom. in id Ioann. Drogo Hoſtenſ. de dominicæ paſſionis ſacram. Greg. Magnus in 4. Pſalm. Pœnit. ad id: *quia cinerem, tanquam panem, manducabam* Arnold. Carnotenſ. Bernardo coætaneus familiaris tom. 1. Bibliot. tract. de verbo illo *ſitio* ſub init. & Cyrill. Hieroſolymit. Cathech. 13. verſ. fin. Bernard. ſerm. in natiuit. Ioann. Baptiſtæ. Sitis Chriſti de omnium fide iuſtitia, & ſalute fuit: ſicuti, & fames etiam, iuxta Paulinum epiſt. 33. ad Deſiderium ſæpe à medio, & fine. Totoque corporali ſuo aduentu, doctrina, & paſſione fidei, iuſtitiæ, & charitatis noſtræ ardorem Dei filium per eaque noſtram ſalutem intendiſſe expreſſit ipſe ad Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur.* Siue, vt Baſil. legit tom. 2. homil. *vlt. niſi, vt iam eſſet accenſus*: vel vt legit Chryſoſtomus ſerm. 1. de Spiritu Sancto in Pentecoſt. *volui videre ſi iam accenſus ſit.* Adeò anxie illum accendi voluiſſe ignem. De quo Gregor. Mag. hom. 2. in Ezech. med. *Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem Spiritus Sancti afflata terrena mens carnalibus ſuis deſideriis concrematur*: eumque etiam in prauis, ac reprobis accendi voluiſſe Deum ait in locum Pſalm. 4. Pœnit. proximè citatus Gregorius idem, ſicuti & Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 43. Cyrill. & Chryſoſt. in eum Lucæ locum: ex quo eiuſque metaphorico igne omnes (nullo excepto) voluiſſe cupiiſſeque Deum adipiſci ſalutem, atque ad veritatis agnitionem venire, & quantum quiſque aptus, connectentem ſibi, atque ad ſui ſimilitudinem perducentem fuiſſe: quod etiam reliqui citati Patres docuerunt. Vlterius de paſſionis ſuæ abuſu à reprobis ſolum illa querela eſt: Ierem. 49. *& ego dixi: in vacuum laboraui, ſine cauſa & vane fortitudinem meam conſumpſi*: & Præcipue ad Iſraëlitici populi incredulos ad quos miſſum ſe præcipue teſtatur Chriſtus Matth. 15, notántque ad locum Hierem. Cyrill. Alex. lib. 4. orat. 4. Hieronym. lib. 13. Ne autem dicas hæc de ſola humana Chriſti voluntate eſſe intelligenda; attende diuina voluntate à Patre miſſum atque incarnatum veniſſe 2. ad Roman. 8. *qui proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Tertio ea omnia pro noſtra ſalute feciſſe, paſſumque eſſe Dominum, vt Patris ac diuinæ ſuæ voluntati humana voluntate concordaret atque obſequeretur iuxta illud. *Non veni, vt facerem voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*: & illud *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.*

9. Multa alia in idem argumentum congeri è ſcriptura, & Patribus poſſunt, quæ ſummatim attingam Pſalm. 18. *Neque eſt qui ſe abſcondat à calore eius*: ad quæ Auguſt. expoſit. 1. *Non permiſit Incarnatum verbum vllum mortalium excuſare de vmbra mortis, & ipſum enim penetrauit verbi calor* quatenus ex ſe erat; ſicut ſol, qui omnes calefacit qui ad vmbram ſponte non refugerint: quæ etiam ſententia metaphora illa Oſeæ 6. *veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ*, quod de Chriſti aduentu interpretatur, ac ſubdit. *Hæc eſt pluuia de qua dominus pollicetur; dabo vobis pluuiam temporaneam, & ſerotinam.* Michææ: ſtatimque quæritur Dominus, *faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda?* ad quæ Hieronym. *Parentis in perditos filios monſtrat affectum: iuxta illud quod in Iſaia legimus; quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci*: & in Michææ *Popule meus quid feci tibi?* &c. Accedit prouidentia, etiam perditiſſimis, veritatis Prædicatores apud eos magnæ auctoritatis, & de ſe, & ex miraculis patratis deſtinans, vt conuerterentur, & crederent. Prophetas olim, & Baptiſtam aduentus Chriſti præcurſorem, cuius apud incredulos Iudæos teſtimonio Ioann. 5. vſus Chriſtus ſubdit: *ego autem non ab homine teſtimonium accipio, ſed hæc dico, vt ſaluemini*: mea diuinitate de qua numero 18. *Sed hæc dico, vt ſaluemini*: quæ ita Chryſoſtom. interpretatur. *Hoc eſt: ego hominis non indigeo teſtimonio, cum Deus ſim: verum, cum Ioannes tantæ apud vos auctoritatis ſit, cumtanquam Prophetam admiremini, mihi etiam miracula facienti non creditis, idcirco eius vocis teſtimonium in memoriam reduco*: ità etiam Leontius ad eum locum, & Theophylactus: qui etiam ad id Ioann. 12. *Abiit, & abſcondit ſe ab eis*: factum à Chriſto ait: vt eorum mitigaret iram, locumque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

locumque & tempus conſideratione faceret, vt reſipiſcerent, *quamuis enim incredulitatem eorum pr*æ*noſſet: attamen omnia qu*æ *ad ſe attinebant faciebat*, de Apoſtolis vero, & de Euangelicis Prædicatoribus gratias Deo agebat Paulus 2. Corint. 2. *qui odorem notiti*æ *ſu*æ *per nos manifeſtat in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vit*æ *in vitam*: quod ita eſſe ob creati arbitrij vtentis, vel abutentis libertatem explicant Nyſſen. homil. 8. in Eccleſ. verſus med Hieronym. epiſt. 150. de 12. quæſt. ad Hedib. q. 11. poſt med. Aug. de prædeſtinat. & gratia c. 13. 14. & 15. vbi de reprobo Pharaone odorem mortis in mortem fuiſſe concludit: *quia libero contra Dei, voluntatem pugnauit arbitrio.*

10. Media denique ad ſalutis etiam reproborum ſeria voluntate Deus, benignus non præſtantibus, adeò adhibita plura rigida ſunt veteri, & nouo teſtamento vt à perditione reuocarentur: comminationes, terroreſque, cum peruigiliam, tum per ſumnum iniecti, rigidaque, vbi hæc non ſuffecere, ſupplicia: quæ ſingulatim recenſere, neque opus eſt (cum tot, tamque obuia in ſcriptura ſint) nec tempus vacat: ſat erit flagella ab Amos cap. 4. enumerata recenſere, & ſingulis adiunctum, *& non rediiſtis ad me*: Præcipue illud: *dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis vrbibus veſtris: & indigentiam panum in omnibus locis veſtris; & non eſtis reuerſi ad me dicit Dominus*: quibus Hieronymus adnectit: *qu*æ *vniuerſa feci non ob crudelitatem, & ſæuitiam, ſed vt conuerteremini ad me* & illud Hierem. 6. *æs, & ferrum vniuerſi corrupti ſunt, defecit ſufflatorium in igne: conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: maliti*æ *enim eorum non ſunt conſumpt*æ: quo loco Nazian. Orat. 15. in plag. grandinis circa med. Dei eorum duritiem exprobrantis ſententiam inducens, confirmat: *quanam ratione, quoue modo erudire vos oportuit, quo non erudierim?* Sed in nequiſſimo, ac perditiſſimo Iuda de ſalute reproborum deſiderium diuinum procuranda omnem artem ſuam explicuit, atque exemplum appoſuit, iuxta Ambroſium de paradiſo cap. 8. ſub init. vbi ait: *venerat Dominus Ieſus omnes ſaluos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem: & ideo, nec proditurum debuit pr*æ*terire, vt aduerterent omnes, quod in electione etiam proditoris ſui ſeruandorum omnium inſigne pr*æ*tendit.* Scilicet addit beneficiis ſuis non neceſſitatem, vel boni, vel mali vſus, vel probis imponendo vel reprobis, & poſt pauca: *quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quod omnes voluerit liberare*, paucіſque interiectis, *in Apoſtolatus munus adſcitus eſt, vt, vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu*, &c. qua eadem intentione eius pedes lauaſſe Dominum teſtatur Chryſoſt. hom. 69. in Ioann. cap. 13. & eadem illi (nulla apud reliquos condiſcipulos nota ſceleris concepti notitia) reprehenſione ſua manifeſtaſſe vt abſiſteret; *faciliuſque corrigeret p*æ*nitudo quem nulla deformaſſet abiectio*, inquit Leo Mag. ſerm. 7. de paſſione cap. 2. ſub init. & 16. cap. 3. fine Gaudentius Brix. ſerm. 13. de natali domini circa med. Cyrill. Alexandr. 9. in Ioann. cap. 7. med. & lib. 11. cap. 21. med. Euthym. ad id Matt. 26. *vnus veſtrum me traditurus eſt*: vbi multa de mediis ſalutis Iudæ adhibitis, deque eius abuſu, & obſtinatione. Beda in id Luc. 22. *verumtamen manus tradentis* Theophil. ad id Ioann. 13. *Cum Diabolus immiſiſſet in cor*, & ad id cap. 17. *Nemo ex iis periit, quantum ad me attinet, nullum perdidi, quantum in me fuit nullum amiſi, ſed ſeruaui eos.* Hoc eſt: omnibus modis eos cuſtodiui: quod repetit circa Iudæ electionem ad cap. 13. & in 12. ad id *ſed, quia fur erat*: pecuniæ ait diſpenſationem permiſſam, vt marſupio auaritiam ſatiaret ſolareturque, neque furare cuperet. Denique Auguſtinus ad id Pſalm. 68. *quoniam quem tu percuſſiſti* & apud ipſum tom. 10. Author. ſerm. ad fratres in Eremo ſerm. 28. ſub initium, & inferius multis modis Iudæ à Domino correctionem procuratam oſtendit.

## CERTAMEN IV.

### *Pro eadem veritate ex ſcriptura, & Patribus argumenta alia.*

1. SEd in loco illo 1. ad Timoth. 2. vbi adeò expreſſa eſt Dei de omnium, & (nullo excepto) ſingulorum hominum ſalute ſeria antecedens, & quantum ex parte ſui eſt, actiua voluntas Patribus conteſtantibus Theologicum, & efficaciſſimum argumentum duplex præmittitur: *Obſecro igitur primo* (ait Paulus) *omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, &c. vtpote Deo placitum, rationem ſubdens, *qui omnes homines vult ſaluos fieri*: cui Pauli obſecrationi, imò & eius rationi Eccleſia tota annuit fer. 6. in Paraſceue, ſic pro hæreticis, & ſchiſmaticis orans. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas*, &c. Chryſoſt. homil. 7. in id caput: & teſtimonium ait, *imitare Deum, ſi omnes ille vult ſaluos fieri, pro omnibus oportet orare: illius, & tu conforma voluntati* Auguſtin. ad art. 2. è ſibi falſo appoſitis, vel potius Proſper. ad 2. obiectionem ex Vincentianis. *Synceriſſimè credendum eſt, atque profitendum Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant: ſiquidem Apoſtolus, cuius iſta eſt ſententia, pr*æ*cipit, (quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur) vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus quod multi pereunt pereuntium eſt meritum; quod multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum.* Cyprianus de oratione Domini *id fiat voluntas tua*: Matth. 6. & Luc. 11. Sic poſſe intelligi ait; *vt, quoniam mandat Dominus inimicos diligere, & pro his quoque, qui nos perſequuntur orare, petamus, & pro illis, qui adhuc terra ſunt, & necdum c*æ*leſtes eſſe c*æ*perunt: vt circa illos voluntas Dei fiat* factis nimirum illis etiam cæleſtibus, inferiuſcule: *merito, & nos, qui eſſe debemus Deo Patri ſimiles, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, &c. *ſic Chriſto monente oramus, & petimus: vt precem pro omnium ſalute faciamus: vt qui adhuc ſunt prima natiuitate terreni, incipiant eſſe celeſtes ex aqua, & Spiritu Sancto.* Atque Auguſtin. de grat. Chriſti cap. 25. ex 1. Corinth. 13. arguit contra Pelagium: non ſolum poſſe bene operari (quod naturæ à Deo conditæ eſſe Pelagius admittebat) ſed, & ipſam bonam noſtram operationem à Deo eſſe. *Non enim* (ait Apoſtolus) *oramus, vt poſſitis nihil mali facere; ſed ne quid faciatis mali: neque vt poſſitis bonum facere; ſed, vt bonum faciatis.* Cum ergo 1. Timot. 2. Obſecratio Pauli ſit, vt oremus pro omnibus, vt vitam tranquillam cum omni pietate, & caſtitate agamus, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: rectam noſtram actualem vitam nobis Deum velle; nec ſolum media, quibus ea habere poſſimus eadem argumenti Auguſtini forma conuincitur.

2. Accedit eiuſdem orationis Dominicæ petitio quinta: *dimitte nobis debita noſtra & ne nos inducas in tentationem*: neque enim Deus vt à ſe peteremus hortaretur, niſi dare vellet vt bene diſcurrit Chryſoſtom. apud Sanctum Thom. 22. quæſtion. 83. art. 15. corp. fin. ſic fatus. *Nunquam oranti beneficia denegat: qui, vt orantes non deficiant, ſua pietate inſtigat*, & ſimiliter Auguſtin. tom. 10. ſerm. 5. & 29. lib. de verb. domini poſt init. Atque ad parabolam de Iudice iniquo, & vidua importune rogante, qua nos dominus, vt importune etiam, dona, & ſalutem noſtram precibus apud ipſum negotiemur hortatur, eandem Dei ſua nobis, & ſaltem noſtram largiendi voluntatem probat luculenter Chryſoſtom. idem tom. 5. lib. 2. de orando Deum col. 2. & 3. Nec minus aureo eloquio Chryſolog. ſerm. 39. de perſeuerentia orationis, parabolam aliam, qua nos Saluator ad inſtanter eadem ab ipſo poſcenda ſimiliter erigit, Luc. 11. *quis veſtrum habebit ami-*

*cum*, &c. idem argumentum ſic vrget, *ô quam dare vult, qui ſe inquietari, taliter patitur ſuſcitari! ô quam neceſſitatis eſſe ſuæ, quod ſuæ poteſtatis eſt, vult videri! ô quam pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſam collocauit ad ianuam! ô quam negare noluit, qui ſibi etiam neganti qualiter extorqueretur oſtendit!* & Gregor. Magn. 11. Regiſtri cap. 2. *Pius, ac miſericors Deus à ſe vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult iraſci*: & dato illo Pſalm. 49. *inuocante in die tribulat*: ſubdit: *ipſe ergo ſibi teſtis eſt, quia inuocantibus miſereri deſiderat, qui monet, vt inuocetur.* Sed dices Auguſtinum cap. 15. (non 14. vt ab aduerſariis refertur vbi de eo nihil) de corrept. & grat. ideò pro omnibus orandum ait, quod, quinam prædeſtinati ſint, qui non prædeſtinati, ſed potius ad ignem æternum deſtinati neſciamus: imo vero, ſi hos ſciremus non magis pro eis, quam pro diabolo orare nos poſſe docet lib. 22. de ciuitat. cap. 24. ſub init. id quod & Chriſti domini exemplo confirmatur: qui Ioann. 17. dixit. *Non pro mundo rogo*: id eſt pro his, qui mundi malitia obſtinati morientur: & Dei ad Samuëlem increpatione illa 1. Reg. 16. *vſque quo tu luges Saül; cum ego proiecerim eum?* quo in loco ratio traditur, quia contra exploratam Dei voluntatem abſolutam, & efficacem de perpetuo, & obſtinato, ac irreuocabiliter inimicorum ſuorum damnatione pro ipſorum ſalute precari non licet: ergo oratio pro prædeſtinatis ſolum mandatur facienda; etſi, quia ignoti determinati ſunt, vage pro omnibus facienda ſit, vt determinate prædeſtinatos pertingat, non reprobos, vt hactenus contendebamus: quare, & argumentum hoc de oratione infirmum ad id probandum eſt: & niſi ad orationem pro prædeſtinatis ratio Pauli non præſtat: cum enim Deus reprobos, & ſua iuſtitia damnatos ab æterno determinate nouerit, eos velle ſaluare non poteſt, quin à ſe, & ſua abſoluta, & efficace voluntate diſcordet.

3. Ruiz ex præſcientia de æterna damnatione alicuius, deſiderio per illam regulato, inefficaci quidem abſolutè, etſi, quatenus ex parte noſtra, ſeu quatenus in nobis eſt, efficaci, orari pro illius ſalute à nobis poſſe videtur cenſere d. 19. ſect. 7. numer. 4. idque, & Dei, & Chriſti domini, qui male vſuros gratia, reprobosque, & damnandos præſciens, nihilominus, & ſalutem ex parte ſua ipſis optabat, & neceſſaria ad eam conſequendam ex eo deſiderio largiebatur: & qua homo, pro illis, etiam Iuda, & crucifixoribus, Chriſtus ſerio, ac non perfunctoriè; & quoad ſpeciem ſolum, Patrem precabatur. Huic tamen ſic intellectæ ſolutioni non acquieſco: ob rationes datas proxime contra hoc argumentum ab oratione petitum. Reſpondeo ergo ex ſcientia poſſibilitatis ſalutis reproborum omnium pro priori naturæ ad finalem eorum pænitentiam, & abſolutam damnationem media, vt illam conſequantur, & deſiderare, & Deum ipſis precari nos poſſe omninò voluntati Dei conformes, quin aliquid repugnans, & contradictorium velimus ac precemur; etſi ex ſcientia ob reuelationem de eorum abſoluta damnatione noſtram voluntatem dirigente, nec ſalutem illis licite, ac non implicatoriè velle, nec Deum pro eorum ſalute precari poſſimus, vt Auguſtinus aiebat: Deuſque locis illo Samuëlis, & Chriſti Domini nos docent: itaque pro omnibus in indiuiduo, & determinate hominibus etiam reprobis Deum orare ab Apoſtolo, & Deo ipſo monemur; & recte tamen ait Auguſtin. imò & Ignatius Martyr epiſtola 11. ad Epheſ. circa med. ideò poſſe, ac debere nos ita pro omnibus, nullo adhuc perditiſſimo excepto orare: quia de nullo, an damnandus ſit ſcimus, ſed ſolum abſolute poſſe conuerti, & ſaluari ac proinde eorum indiuiduatim omnium ſalutem ex ea poſſibilitatis ſola ſcientia deſiderantes, voluntati; & deſiderio Dei de eorum ſalute, ex ſcientia, ſimplicis etiam intelligentiæ ab ipſo habitæ de eorum ſalute, & de collatione mediorum conformatur; quin aliquid ex parte obiecti, aut velimus, aut petamus reprobis pro eo ſigno, & priori naturæ impoſſibile: imò, & efficacia media Deum petere pro illis poſſumus, ac reuera, cum tota Eccleſia petimus, atque obtinemus quandoque à Deo, precibus noſtris ne præſciti, reprobique de facto, & exercitè ſint: qui alias reprobi forent, vt de precibus Stephani pro lapidantibus, & de Paulo Patres aiunt: quæ, ſi defuiſſent, Paulum Eccleſia non haberet. Ad hoc ergo ne ſcientia noſtra de reprobis, ac prædeſtinatis ex Patrum Sententia inſeruit, vt illis ſalutem velle indiuiduatim, & gratiam à Deo precari poſſimus, quia nondum pro ſigno obiecti ſcientiæ de ſalutis poſſibilitate, reprobus, damnatuſque quiſquam eſt: non autem quia ad ſolos prædeſtinatos, nondum à nobis determinate à reprobis cognitione diſcretos extendatur, reprobandis excluſis &c. quod ſi de iam damnatis decreto Dei nobis notitia adeſſet, ſicut de dæmonibus; ex ea quidem, nec ſalutem illis velle, nec pro illis precari Deum liceret, nec niſi implicatoriè, poſſemus: vt bene Auguſtinus, & ad Samuëlem Deus aiebat exemplumque Chriſti Domini, & rationes nuper datæ probabant.

4. Sed dicent aduerſarij ſecundo: orationem ad Deum fieri à nobis poſſe pro omnibus indiuiduatim, ac ſubinde, & Deum, & Apoſtolum poſſe nos ad eas pro eis omnibus, & ſingulis fundendas adhortari; etſi Deus non omnium, quia non reproborum, ſalutem, verè, ac ſeriò, ſiue ex animo, vt aiunt, velit: quemadmodum Chriſtus Dominus Patrem in horto pro ſuæ humanitatis incolumitate precabatur. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: etſi mortem eius à Patre abſolute decretam certo noſſet, neque vllatenus ipſius incolumitatem deſiderarit antecedenter, ſeu quatenus ex parte Dei erat: ergo ex oratione noſtra pro reprobis, male infertur ſeria vera, atque ex animo voluntas Dei antecedens de illorum etiam ſalute. Attigit hanc euaſionem, & argumenti noſtri eneruationem Ruiz vbi proxime numero 10. non tamen totas eius vires explicuit: quare numero 11. reſpondet: argumenti noſtri huius ab oratione pro omnibus facienda robur potius confirmare iuxta ſuam doctrinam (quæ nobis nuper diſplicebat) de licita noſtra voluntate ſalutis reproborum, & oratione pro illa, etiam poſt reuelationem nobis factam de ipſorum ob finalem impænitentiam abſoluta à Deo deſtinatione ad æterna ſupplicia: quod, & illicitum, & implicatorium ex parte obiecti ab auctoritate, & ratione monſtrauimus. Melius reſpondetur Chriſtum dominum, vt voluntatem illam, adhuc conditionatam, ex parte obiecti de ſuæ humanitatis incolumitate conciperet, Deumque, ita etiam, pro illa Patrem precaretur à ſcientia ſua creata abſolute voluntatis Patris de eius morte animum, pro tunc, libere diuertiſſe: ſicuti, & ab aliis obiectis, quæ antea continuò clare nouerat, vt eis ex induſtria non attentis, triſtaretur, Controu. de Incarnat. dicebamus: ſicque ex poſſibilitate incolumitatis ſecundùm ſe, & naturali imminentium pænarum horrore, & poſſibilitatis voluntatis diuinæ, incolumitatem humanitatis ſuæ orabat; voluntati tamen, quæ ea ſuper poſterius natura à Deo haberetur anteacto conformis: itaque licitè, & honeſtiſſime, ac ſine vlla ex parte obiecti implicatione orabat, vt Dei voluntatem ad ſuæ humanitatis incolumitatem inclinaret: quam proinde ſupponere non debebat; aſt orationes noſtræ pro omnibus hominibus, cum de ipſius hortatu per ſe, & per Apoſtolum ſint, voluntatem de eorum ſalute in Deo hortante ſupponere debent; ne illuſorie ad eas Deus nos hortetur: quare & Apoſtolus Dei afflatu nos adhortans eiuſmodi voluntatem explicuit vt pro illis omnibus petendo, eius voluntati conformaremur.

5. Tandem alij reſpondent: nobis non incumbere generalem vniuerſi prouidentiam, ſicut Deo; ſed particularem, & charitatis erga omnes: quare, & poſſe recte orare pro omnibus, & ſingulis: Deum autem potius mundi prouidentia concernit. Ad pulchritudinem autem vniuerſi alios velle ſaluare, aliis lapſum permittere, & punire, magis decere. Nullius eſt ponderis: Tum, quia non ita hoc magis decet, vt ſi aliter res Deus diſponeret, etiam cum effectu, voluiſſetque, nec quatenus ex parte ſua ſolum eſſet, minuſque, adhuc perfectionis phyſicæ, aut moralis haberet: vt de virtutibus Dei moralibus oſtendemus controu. 5. quia, ſi aliquid indecentiæ incurreret, nos charitas proximi omnibus, & ſingulis hominibus ſalutem & velle, & precibus ad Deum fuſis negotiari, quatenus ex parte noſtra eſt, honeſtiſſime facit: multo ſane

honeſtius

honeſtius eiſdem idem, ex parte ſui velle, & procurare Deum, omnium hominum munificum Dominum, creatorem, & naturalem parentem faciet; nec niſi ex dependentia, & præſuppoſitione abuſus prouidentiæ ſuæ beniguiſſime in reprobis alicuius velle perditionem: quam rationem, vtpote apud Deum potentiſſimam Eccleſia vt finalem pænitentiam moribundis ſingulis, & omnibus de facto concedat, atque ab æterna eos perditione eruat in commendatione animæ quotidie, ac ſemper illis verbis repreſentat. *Agnoſce Domine creaturam tuam*: &c. Illud de pulchritudine vniuerſi, quandoque à Patribus dictum, video à pluribus longe alio ſenſu circumferri. Neque enim peccati & damnationis reproborum deformitate, & malo maiorem vniuerſitati hominum, & Angelorum pulchritudinem, quam eorum omnium iuſtitia & ſalute, de ſe ſe, ac nulla facta ſuppoſitione afferri poſſe video. Ex ſuppoſitione autem abuſus arbitrij creati contra antecedentem Dei quatenus ex parte ſua eſt, voluntatem de recto eius vſu, & æterna ſubinde ſalute, ſuppliciis reprobos, ſiue permiſſi, ſiue inflicti mali ad vniuerſi pulchritudinem ſpectare, ac diuinæ iuſtitiæ ſplendorem certum mihi & hominibus eſt atque à Pſalte notatum: Pſalm. 48. illis verbis; *ſicut oues in inferno poſiti ſunt*: cum tamen ouis ſpecie, & nomine ſolum prædeſtinati, non autem damnati reprobi ſignificentur; ſed hædi, & nomine, & ſpecie iuxta id Matth. 25. & *ſtatuet oues quidem à dextris, & hædos à ſiniſtris*: oues autem dicuntur, cum puniuntur: quia non minus Dei iuſtitia per eorum damnationem, quam per prædeſtinatorum ſanctitatem, & gloriam, in rationali vniuerſitate reſplendet: vnde & proloquium noſtrum vulgare. *Tambien parece el ladron en la horca, como el Iuſto en la gloria.* Quod autem Deus pro mera ſua voluntate non omnibus efficacia ſua dona largiatur, ac prædeſtinet; ſed, & lapſum permittat: idque antequam quidquam mali egiſſent, ſicuti, neque boni aliquid prædeſtinati quibus efficacia vberiore miſericordia prouidit: id quidem non ad maiorem vniuerſi pulchritudinem ſpectat; ſed ad ſupremum Dei erga gratiam ſuam dominium: nec defectum voluntatis antecedentis de ſalute reproborum arguit, cui ſufficientium donatione ſatisfit.

6. Secundum argumentum eodem Pauli loco continetur illis verbis, *quibus etiam gratiarum actiones* obſecrat fieri *pro omnibus hominibus*: eandem rationem reddens etiam, quod Deus omnes ſaluos fieri velit: quæ ratio in gratiarum actione æquam ab Apoſtoli auctoritate à ratione verò maiorem adhuc vim ad intentum noſtrum habet: etenim ex natura rei precari quempiam: quare, & Deum poſſumus, vt ea velit nobis donare, quæ de ſe antecedenter nondum, ex parte adhuc ſua, voluerat: eo enim preces ad ipſum fundimus, vt illis eum ad noſtri beneficentiam inclinemus: quocirca, ſi ad ea cum affectu præſtanda determinatus aliquis ſupponatur, fruſtra pro eis ab ipſo obtinendis precaremur. At vero gratiarum actio voluntatem rei nobis collatæ ex noſtri beneuolentia, atque in noſtrum commodum, & vtilitatem in donatore ſupponit: quare, cum pro omnibus hominibus agendæ Deo gratiæ ex Apoſtoli præſcripto ſint, ex omnium beneuolentia, atque ſalutis intentione omnia in omnes & ſingulos à Deo conferri demonſtratur Hoc argumentum vniuerſim nos docuit Baſil. 2. de Inſtitut. Monaſter. fine: *ſiue maturius aliquid, ſiue ſerius conſequimur à Deo: hoc tenere conſtanter debemus, vt ipſi gratias agamus, quando Dominus, quæcunque facit, ea omnia ſaluti noſtræ conſulens facit. Tantum, ne puſillanimitatis vitio à petitione conſtante deſiſtamus.* Quibus extremis verbis Deum ex ſalutis noſtræ deſiderio preces noſtras expectare, ac velle Baſilius ſatis oſtendit Chryſoſt. 1. de Prouident. poſt medium: *Non de his ſolum quæ nouimus gratias illi referamus. Nec enim volentes ſolum, verum inuitos & nolentes beneficiis conſueuit afficere, quod Paulus*, &c. & poſt pauca: *quod non communiter ſolum omnium curam gerit; ſed ſeorſum ſingulorum ipſum audias licet dicentem: Non eſt voluntas coram Patre meo*: &c. Matth. 18. inferius: *cupit ipſe quidem & eos, qui non credunt ſaluos fieri, mutarique in melius & credere*: ſicut Paulus ait loco quem verſamus, quod & firmat illo Chriſti Domini. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Ac deinceps tantum eſſe Dei erga homines omnes beneuolentiam, ac de eorum commodis curam docet, vt eis, qui contra eius voluntatem voluntatis propriæ vitio à ſalute æterna, ipſis à Deo optata, obſtinato deuiarint, naturalia nihilominus bona impertiatur.

7. Tertium argumentum ex Dei gaudio vehementi de peccatoris conuerſione & pænitentia, quod deperditæ ac inuentæ à Paſtore tandem ac reductæ Luc. 15. & Matth. 18. item dragmæ adinuentæ, & filij prodigi ad Patrem regreſſu parabolis Chriſtus Dominus explicuit: etenim vehemens de re aſſecuta gaudium arguit antecedens de ea aſſequenda vehemens deſiderium. Hinc apud Matth. 18. intulit Chriſtus Dominus: *ſic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum vt pereat vnus de puſillis iſtis*: & apud Lucam 15. *congratulamini mihi quia inueni*: & *epulari autem, & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt*: quibus, & reducendi ouem, ac filium perditum atque dragmæ perditæ adinueniendæ, & Paſtoris, & Patris, & mulieris anxium antecedens ſtudium proponitur, vt eorum recuperatorum adinuentorumque gaudium vehemens commendetur; quod tale procul dubio eſſe, minimè conſtaret, ſi iniuriis de eorum recuperatione, Paſtori, Patri, ac mulieri ea occurriſſent atque ad eorum poteſtatem redirent: in quod argumentum eis parabolis expenſis ita concludit Dionyſius Areopagita epiſt. 8. ad Demophiſum: *feſtum diem agit: conuocat amicos id eſt bonos, vt ſit omnium lætantium habitatio*: inferiuſcule: *quomodo enim non debebat is, qui bonus eſt ex eorum, qui perierant, ſalute, & eorum qui mortui erant vita lætari? denique & in humeros impoſitam ouem fert eam, quæ vix ab errore reſipuerat: & Angelos ad lætitiam gaudiumque inuitat.* &c. & 12. de diuin. nomin. ſub fin. ait: Deitatem, vtpote ſimplicem perfectionem omnis incontinentiæ, inæqualitatis, & non aptæ compoſitionis rerum exterminatricem, gaudere recta earum diſpoſitione, & ordine, & quæ ipſam adipiſci meruerunt continere ait, ſubditque; *Omnis denique diuina prouidentia, quæ contemplatur, & conſeruat ea, quæ curat, ſeque benigne offert ad formandam in eis, qui ad ipſam conuertuntur, diuinitatem* vbi, & de ſuo oblationem, vt diuinitas in nobis formetur, atque, vt id aſſequamur omnem eius prouidentiam, & curam eſſe, ac ſubinde de his, quibus rectum ordinem, & diſpoſitionem obtinet gaudium totum ipſius eſſe docet.

8. Dices gaudium hoc ſolummodo de prædeſtinatis, & probis eſſe, qui ſolum à Deo eo modo habentur, vt gaudium illud ingenerare ipſi poſſint: quare de iis ſolum probari argumento hoc quatenus ex parte Dei eſt, antecedentem ſalutis, & iuſtitiæ eorum voluntatem ſeriam, ac vehemens deſiderium. Sed contra: quia illa ouis, dragma, filiuſque perditus peccatores omnes, ſinguloſque ſignificat, vt Patres, & interpretes omnes intelligunt: quare, & cura, ac deſiderium vehemens ex quo anxie adeò, vel ouis, vel dragma &c. à Deo requirebatur, non prædeſtinatos ſolos, qui reperti de facto Deum ingenti gaudio affecerunt, ſed reprobos æque pro illo ſigno pertingebat; etſi, quia illi à requirente per ſui arbitrij abuſum longius fugerunt, quam vt reducerentur, gaudiumque pro requirentis anxietate magnum ipſi afferrent; quatenus enim ex parte Dei quærentis deſiderio, voluntate, cura & inueniendi ſollicitudine, & anxietate eſt, ſatis habetur, & reproborum, ſi redirent, æque, ac prædeſtinatorum, qui rediere aduentu, & conuerſione Deus gauderet ac proinde in ea ſalutis omnium antecedente voluntate diuina gaudium Dei, æquum de reditu, & ſalute omnium, conditionatum tamen, continetur, ſi redierint, etſi quia ex reproborum malitia conditio deficit, & gaudium reſpectu illorum abſolute deficiat expreſſum hoc eſt Deuteron. 30. *Reuertetur Dominus, vt gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gauiſus eſt in Patribus tuis: ſi tamen audieris vocem Dei tui*: *vide.* Hieronym. tota epiſt. de filio prodigo ad Dameſ. & in Iſai. ad id cap. 41. *Memento horum Iacob* Iſidor. 2. ſent. cap. 14. Cyprian. lib. 4. epiſt. 2. longe à med. id Apoc. 2. *Habeo aduerſum te multa*, & id, *ſic erit gaudium in cælo*, &c. & alij Patres, & interpretes, qui generalem

præparationem Dei ad gaudium de cuiuſvis peccatoris, etiam reprobi conuerſione per antecedentem illam ſeriam ac vehementem voluntatem ſalutis omnium, etiam reproborum, parabolis illis explicari docent: Secundo, cum Dei curam, & anxietatem, quærendi, & conuertendi ad ſe peccatores, gaudiumque de cuiuſuis conuerſione quauis, eis parabolis ſignificetur, & quandoque, ac non ſemel, reprobi in hac vita verè conuertantur: verum gaudium de eorum conuerſione ex illa ſalutis, & conuerſionis eorum antecedente Dei voluntate, & cura oriundum, etiam reſpectu illorum, admitti in Deo debet: ne ſimulatum, & fictum aliquid tantum, in Patris Symphonia, conuiuio, & quæſitis vicinarum congratulationibus mulieris contineri dicamus.

---

## CERTAMEN V.

### *Ex triſtitia de pereuntibus, ſuppliciis, & ira rationes reliquæ.*

1. ET quanquam de perditis ad ſe, ad Deumque non redeuntibus per pœnitentiam, ac præſertim non rediturіs finaliter reprobis ob finalem eorum impænitentiam, gaudium Dei de eorum reditu & ſalute non ſit: eſt autem Dei de eorum impænitentia vehemens triſtitia, & dolor quatenus hæc ſumma eius fœlicitas patitur; quod & gauiſurum illum vehementer, de eorum conuerſione conuincit: & inſuper, quatenus de ſe eſt, ipſorum conuerſionem, & ſalutem vehementer Deum velle, ac deſiderare. Primum patet: Nam quod abſens triſtitiam generat, præſens, atque poſſeſſum eadem menſura gaudium parit. Secundum autem obſcurius non eſt: ex Auguſtin. 14. de Ciuit. cap. 7. & 9. amorem eius, quod deficit, cauſam triſtitiæ omnis eſſe ait: quod, & docet S.Thom. 1. 2. quæſtion. 36. art. 3. vbi obinde concupiſcentiam doloris, & triſtitiæ cauſam eſſe (ſi nimirum de malo proprio ſit) merito concludit, Philoſophis, ac Theologis aſſentientibus quod enim id quod, vel alicui, vel nobis non optamus deficiat, nullatenus, vel triſtamur, vel dolemus: quod autem Auguſtinus de natura boni cap. 20. dicat, *dolorem in animo facit voluntas reſiſtens, poteſtati maiori.* De poteſtate maiore, non ſolum natura ſua, quæ reſpectu voluntatis diuinæ eſſe nequit ſed, & ſecundum quid, ſiue ex ſubiectione voluntaria Dei, & dependentia ab alterius voluntate, quoad effectus voliti aſſecutionem (vt diximus ſalutem noſtram Deum velle obtinere) intelligi etiam debet: quod autem Deus de peccatis, impænitentia, & peccatorum perditione doleat, & quantum natura ſua patitur triſtetur vehementer conſtat ex odio quod in peccata habet, vehementique de illis diſplicentia: id enim ſolum triſtitia & dolor Dei eſt, ac præterea nihil Pſalm. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem,* Sap. 14. *Similiter autem odio eſt Deo impius, & impietas eius.* Iudith. 5. *Deus illorum odit iniquitatem, & ſæpe: omnem viam iniquam odio habui,* quem dolorem, & triſtitiam affectus ſui de peccatis, ad peccatorum perditione zeli nomine, quem de ſponſæ adulterio ſponſus concipit, ſæpe Deus explicuit: de quo innumera in terminis extant ſcripturæ teſtimonia: & plura etiam æquiualenter, quoties peccatoribus, ac populo ſuo, cum idololatriæ, tum aliorum delictorum fæditatem, & turpitudinem, adulterij, & fornicationis nominibus exprobrat.

2. Verum triſtitiæ, vel ſynonima voce, ſæpe Deus, de noſtris peccatis, & perditio ne ſuum hunc affectum explicuit Ezech. 20. *& in omnibus iſtis contriſtabas me* Iſaiæ. 7 *quia moleſti eſtis & Deo meo*: cap. 43. *ſeruire me feciſti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem iniquitatibus tuis.* Malach. 2. *laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.* Iſai. 1. *laboraui ſuſtinens*: Zachariæ 11. *Contracta eſt anima mea in eis* Iudic. 10. *Deus doluit ſuper miſeriis eorum.* Ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei.* Ad quæ loca Patres, & reliqui interpretes noſtro huic argumento, vel fauent, vel expreſſe conſentiunt: videndi præſertim Hieronym. Ambroſ. & Auguſtin. de Geneſi ad lit. lib. 4. cap. 9. Machar. Senior. Egypt. homil. 27. ante med. Benedictus Prologo ad ſuam regulam, in cuius commentario Smaragdus hunc Dei dolorem, & triſtitiam de noſtris peccatis & miſeriis Deus incarnatus variis externis ſignis demonſtraſſe ait: vt, cum aliquibus peccata exprobrabat. Matth. 11. *Væ tibi Corozaim*: vbi ad rem ſatis Hieronym. Euthym. & Chryſoſtomus Homil. 38. & homil. 60. ſub initium ad id Matt. 18. *Væ mundo à ſcandalis vti ad hæc: beneuolentiam quoque ſuam erga illos, & clementiæ magnitudinem oſtendit: quia, vel contradicentes deflet*: conſonat gloſſ. ad Luc. 10. affectus Dei explicatione ſimili, vbi & Beda & ad Matth. 7. Abulenſis quæſtion. 46. poſt med. verum non vocibus ſolum animi dolorem, triſtitiam, ac fletum ſignificantibus, ſed fuſis etiam ſuper eodem gemitibus, imò & lachrymis non ſemel Dominus demonſtrauit. Matth. 15. & Marci. 7. peccatorem quemuis in ſurdo ſanaturus, *ſuſpiciens in cælum ingemuit.* Marci 8. *& ingemiſcens Spiritu ait: quid generatio iſta ſignum quærit*: Ad quæ Hugo Voctorin. de voluntate Chriſti laudatus à S. Bonauent. in 1. d. 48. art. 2. quæſtion. 2. corp. med. *per compaſſionem in malo ſuſpirabat.* Lucæ 19. *videns ciuitatem fleuit ſuper illam*: & Marci 3. *& contriſtatus,* (græca *condolens*) *ſuper cæcitate cordis eorum.* Nec præſtat gemitus, & lachrymas haſce voluntatis humanæ Chriſti, qui eas fundebat, qua homo, de omnium ſalute, non autem ſimilis diuinæ argumenta eſſe: diximus enim ſupra in ſalutis noſtræ præſertim negotio humanam Chriſti voluntatem, & affectum diuinis ſuis, ergo eandem omnino fuiſſe conformem: maximè cum, vt ſupra ex ſcriptura oſtendimus, ex diuino de ſalute noſtra deſiderio, & voluntate vehemente, & humanitatem induerit, & tot, pro nobis liberandis, mala ſuſcipere, patique decreuerit: vt euidenti argumento ſit à Deo ſuſceptam humanitatem fuiſſe, vt ea, tanquam Organo, & inſtrumento, ſigna doloris, ac triſtitiæ de noſtra perditione, quæ diuinitate ſola non poterat, exhiberet: ſuamque ex eis de ſalute noſtra antecedentem, & quantũs ex parte ſua eſt, vehementem voluntatem faceret ſenſibiliorem.

3. Atque ea plane eſt Patrum ſententia Cyrilli Alexandr. apud Caten. S. Thom. ad eum Lucæ locum ſic fati: *Miſerebatur enim eorum Chriſtus, qui omnes homines vult ſaluari* (iuxta Pauli locum, qui de Diuina voluntate expreſſus vt vidimus eſt) *quod nobis non patuiſſet, niſi per aliquid humanum fieret euidens, effuſæ enim lachrimæ ſunt ſigna triſtitiæ*: conſonat Hieron. ad Michæ. 7. init. & ad Epheſ. 4. fine & Chryſtom. Homil. 67. in Ioann. ſub fin. ex eo loco Ioann. 1. ita diſcurrebat. *Hæc autem dicit ſcriptura, vt noſtra cauſa deſeri nos, & nobis ipſis perditionis noſtræ auctores eſſe demonſtret. Deus autem non modo nos non derelinquere vult; ſed, quoties punit, inuitus punit: Chriſtus, cum peritura eſſet Hieruſalem, etiam lachrymatus eſt: quod nos in amicis facimus* &c. Ioann. item Lazaro mortuo, peccatorum omnium Typo, lachrymatus ad eius monumentum Dominus quanto mærore, & fletu cuiuſuis perditi doleat exitium Patrum & interpretum communi conſenſu ſignificauit: *lachrymatus eſt Ieſus*: vnde illico adſtantes Iudæi argumento, quod perſequimur intulerunt: *ecce quomodo amabat eum.* Nemo enim dolere, triſtarique, & flere verè, ac ſine ficta ſimulatione poteſt de alicuius interitu, ac perditione, cui non exanimo ſalutem, & incolumitatem optabat. Aptiſſimè igitur ad eum locum tract. 49. in Ioann. Auguſt. huic Iudæorum illationi ſubſcribens, altiori nihilominus ſenſu, ad rem noſtram ſcripſit: *quid eſt amabat? Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pænitentiam*: cuius ſententiæ & Patrum commentis, recte quidem annuit Fauſtus Epiſcop. Galliar. (etiam non recto animo illam pro Semipelagianis induceret) l. 1. de grat. & lib. arb. c. 19. Illud Ioan. 19. dixit: *Si Dominus perituris ſalutis interclu ſerat aditum: ergo falſo illorum defleuit exitium: ſi autem eorum perditionem vero (vt manifeſtum eſt) mærore perdoluit, non voluntatem ſuam hominі, ſed conſenſum hominis voluntati ſuæ defuiſſe monſtrauit quid mirum, ſi hominis lachrymas fundat mox ſanguinem profuſurus?*

4. Attigi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

4. Attigit obiter aliud pro noſtra, & Patrum concluſione argumentum Chryſoſtomus proximè recitatus ex coactione noſtris ſceleribus, qua eum ad peccatorum ſupplicia venire dixit inuitum, & ad iram in peccatores: id enim euincit voluntatem, quatenus ex ipſo eſt, antecedentem ſalutis, & incolumitatis noſtræ in Deo eſſe ſeriam, ac vehementem; contra cuius inclinationem & impetum vis, & coactio noſtris ſceleribus fiat, vt nobis iraſcatur, noſque, vt iuſtitia exigit, puniat: cum enim voluntas quæuis ad hunc, vel illum affectum de hoc, vel de oppoſito obiecto concipiendum indifferens eſt, neque anteacto ad hoc potius, quam oppoſitum propenſa, nullam in alterutrius proſecutione vim ſiue violentiæ, aut coactionis vmbram pati poteſt. Aduerte tamen in Deo iram proprie non eſſe, cum enim ira proprie ſit appetitus reddendi dolorem viciſſim, vel recruciandi eum, qui nos cruciauit, doloremue proprium intulit iuxta Ariſtotelem 1. de anima cap. 1. text. 16. & Nemeſium 4. Philoſ. cap. 13. ſeu lib. de animæ facultatibus cap. 21. fine ac Philoſophos reliquos: Deuſque proprij doloris, & cruciatus incapax ſit, & propriæ iræ incapax erit: ità ergo ſolum ira, ſicuti, & triſtitia, quam ſupponit, admitti in Deo poteſt: nimirum pro diſplicentia vehementi, & odio mali alicuius obiecti, vel natura ſua (vt peccatum) vel ex voluntate præconcepta de oppoſito Deo inuiſi ac infenſi: & ſanè, etſi Lactantius Firmianus, adeò rigide contra Stoicos inuectus, iram Dei propriam in peccata, & impios aſſeruiſſe à nonnullis iudicetur lib. de ira Dei; hoc tamen ſolum quod diximus contendit; tum, quia id ſatis ad refellendos Stoïcos erat: tum, quia nil aliud contendiſſe è toto libri contextu patet. Maxime cap. 5. 14. 15. & 17. cuius fine iræ à ſe in Deo aſſertæ hanc definitionem poſuit: *eſt motus animi ad coërcenda peccata inſurgentis*. Hæc dixerim, vt obiter eam quæſtionem (quantum ſatis eſt) de ira Dei abſoluerim: ſicuti & ſupra de doloris, & triſtitiæ affectibus abſolui. Nullus enim ex eis proprie in Deo admitti debet, cæterum Deum eo modo, quo poteſt, in perditos, adhuc de ſe, atque ſuopte ingenio, & natura nunquam iraſci; imò verò contra genium potius, & præconceptum ex ſeſe illorum amorem, & ſalutis eorum antecedentem voluntatem, ſed peccatorum ab eis admiſſorum occaſione, teſtatur illud Pſalm. 26 *quoniam ira in indignatione eius; & vita in voluntate eius*, iuxta datam ſupra Baſilij magni expoſitionem certam. 2. numero 10. Quo autem pacto, etiam dum Deus peccatoribus in hac vita conſtitutis iraſcitur, plus multo miſericordiæ & antecedentis illius ſuæ de ipſorum ſalute voluntatis, quam iræ, ad quam eorum ſceleribus prouocatur, exerceat, inferius oſtendemus.

5. Nunc autem Deum ad ſupplicia, & peccatorum vindictam præſertim poſtremam venire, præter Chryſoſtomi teſtimonia poſtrema aliis Scripturæ & Patrum teſtimoniis oſtendamus. Ierem. 5. *Super quo propitius tibi eſſe potero? Filij tui dereliquerunt me*, quaſi eorum ſceleribus benefica eius voluntas vincta, & inuita teneatur. Threnor. 3. *Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum*. Ad quæ Ioann. Maior in 2. d. 37. quæſtion. 1. ſub fin. *quaſi diceret: quodammodo inuitè, & ex ſuppoſitione ſolum, hoc facit, vt peccata puniat:* Apoſtolor. Princeps. Petrus apud Clem. Rom. 5. Recognit. poſt med. *Interdum contra bonitatem conditoris fatigata ſceleribus impiorum vincuntur elementa, & inde eſt, quod, aut terræ fructus corrumpitur*: &c. quæ ſic optime exponit Gruterus ibi. *Contra bonitatem Dei: id eſt permittente Deo, quamuis nollet punire; ſed in humanum genus mallet ſemper beneficus eſſe.* Nazian. orat. in plag. grand. poſt med. *Haud dubiè miſſa facta ira quæ ipſius naturæ aduerſatur, miſericordiam, quæ ipſi naturæ ineſt amplectetur. Ad illam enim à nobis vi pertrahitur; ad hanc ſuapte natura fertur: cum igitur non, niſi coactus, percutiat: quid afferri poteſt, quin natiua ſua poteſtate vtens indulgentem ſe nobis præbiturus ſit: modo nosmetipſos noſtri miſereat, iuſtique Patris viſceribus vitam patefaciamus.* Auguſt. præfation. in Pſalm. 51. colum. 2. *extorſit populus à Domino habere Regem & datus eſt Saül: tanquam dati eſſent illi in manus ſuas, qui manibus, & verbis acceſſerunt mortem: & figurata eſt in Saule ipſa mors*: Bernard. ſerm. 5. in natali Domini med. *quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus*: ſed omnium facundiſſimè Saluianus de Prouidentia, quem iuuenis adhuc Philoſophus ad rem hanc obſeruabam. Nam lib. 1. poſt med. inter alia miſſos Sodomam Angelos ait vt oſtenderet: *quod etiam malos puniret inuitus, ſcilicet vt cum legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertuliſſent, & videremus ſcelerum immanitatem, criminum turpitudinem libidinum obſcænitatem probaret vtique nobis Deus quod ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint vt perirent*: quam ſententiam Concluſionis fere eiſdem verbis deduxit, illud Hiſtoriæ eiuſdem pendens: *clamor Sodomorum*: &c. Atque omnibus noſtris ſceleribus, & ſuppliciis à Deo inflictis applicans, lib. 4. longe ab initio ait: *cumque eius naturæ ſit mens Dei atque maieſtas, vt nulla iracundiæ paſſione moueatur: tanta tamen in nobis peccatorum coaceruatio eſt, vt per nos cogatur iraſci: vim (vt ita dixerim) facimus pietati ſuæ, ac manus quodammodo afferimus miſericordiæ ſuæ: cumque eius benignitatis ſit, vt velit nobis iugiter parcere cogitur malis noſtris ſcelera, quæ admittimus, vindicare*: colum. penult. *Vim Deo facimus iniquitatibus noſtris: ipſi nos iram diuinitatis armamus: cogimus ad vlciſcendas criminum noſtrorum immanitates nolentem Deum, prope eſt vt eum non permittamus vt parcat*, &c. In eandem porro ſententiam venit & illud Iſaiæ 28. *ſicut enim in monte diuiſionum ſtabit dominus: ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon iraſcetur: vt faciat opus ſuum alienum opus eius: vt operetur opus ſuum peregrinum eſt opus eius ab eo*: Quia nimirum ſupplicia non ſuapte & natura, ac voluntate qua in noſtrum potius bonum, ſalutemque propendet operatur; ſed extrinſecus à peccatis noſtris alienum, & extraneum ſibi vindictæ opus exercet inuitus: vt Patres, & interpretes communiter exponunt.

6. Hæc de æternæ damnationis ſupplicio, atque etiam de temporalibus dicta ſunt iuxtà Petri teſtimonium: verum in pænis huius vitæ, ad quas delicta etiam noſtra, Deum pertrahunt vel inuitum: tametſi iræ, & vindictæ, ac iuſtitiæ diuinæ temporalia hæc ſupplicia aliquid habeant, plus tamen multo miſericordiæ, benignitatis, atque antecedentis voluntatis ſalutis noſtræ procul dubio habent; vt ne iteratis ſæpè delictis noſtris anxia hæc voluntas de ſalute noſtra vincatur, & puræ iuſtitiæ cedat: conſtat ex Tobiæ 3. fine. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit: quod vita eius ſi in probatione fuerit coronabitur; ſi autem in tribulatione fuerit liberabitur: etſi in correptione fuerit ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris*: &c. quare, neque dolorem, & pænam, adhuc cum punit, de ſe ſe amat, ſed auerſatur: eaſque non tam vindictæ cauſa, quam correptionis & ad melius nos reuocandi gratia è ſalutis noſtræ amore nobis immittit; qui bonis quidem, non autem malis noſtris delectatur idcirco paulatim etiam perditiſſimos in hac vita punit: quippe qui de eorum malis dolet: ac proinde minoribus inflictis eorum conuerſionem primo tentat, ſi fors abſque grauioribus reſipiſcant. Huius rei illuſtriſſimum exemplum Exodi hiſtoria eſt, quæ ſapientiæ 11. & 12. aptiſſimo ad rem noſtram commentario ponderatur: etenim relata cap. 11. obſtinatione Egyptiorum, quam frangere leuioribus, ac poſtmodum grauioribus flagellis conatus Deus fuit ait: non totam illam iram ſtatim, ac peccamus effundere; ſed diſſimulare illum *peccata hominum, propter pænitentiam*, & rationem ſubdit. *Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil eorum odiſti eorum quæ feciſti*: & fine capitis. *Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine*: inde vero cap. 12. exclamat. *O quam bonus, & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris vt relicta malitia credant in te Domine.* Cuius rei exemplum aliud adhibet in modo, quo idololatras habitatores antiquos terræ ſanctæ, vt locum populo ſuo darent, exterminauit ſubiungit enim verſ. 8. *ſed, & his, tanquam hominibus (qui vtique omnes, omniumque ſalutem amas) peperciſti: & miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarent*, &c. verſ. 10. *ſed partibus iudicans dabas locum pænitentiæ*, Eam nimirum, non hominum ſtragem, & afflictionem debitam præcipuè intendens. Neque vero ea in ſceleſtos moderatione vtebaris,

quoniam ſuperiori de eorum ſalute, vel exitio rationem reddere deberes. Nam inquit ſapiens: *quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Non enim eſt alius Deus, quam tu, cui eſt cura de omnibus vt oſtendas* (alteri rationem reddas) *quoniam non iniuſte iudicas*: quare ergo ea moderatione corripis? *ob hoc* (ſubdit ſapiens) *quod omnium dominus es, omnibus te parcere facis.* Subiungit autem ex hiſtoria præfata, & ponderata Dei in puniendis quibuſuis hominibus, vel potius per flagella ad intentam eorum ſalutem corripiendis vniuerſalem benignitatem. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia* (hiſpanè *tiento, como aluaſo de vidrio no ſe quiebre con golpe ô toquemos recio*, vt Paulus viros de modo gubernandi vxores aiebat: *tanquam infirmiori vaſculo exhibentes honorem*) *diſponis nos: ſi enim inimicos ſeruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari* ſiue (vt græcum exemplar) *mutarentur à malitia* &c.

7. Eſt & aliud huius rei exemplum: de incredulis enim obſtinato Iudæis, qui vt dominum perderent, conſilium cum Herodianis inierunt, dicitur Marci 3. *circumſpiciens eos cum ira, & contriſtatus* (græca *condolens*) *ſuper cæcitate cordis eorum*: ecce, quam in ira ipſa voluntatis vehementis de eorum ſalute pænæ cohibere impetum, externis adhuc ſignis, non potuerit id quod Chryſoſtomus ad Matth. 12. homil. 41. ſub init. ita ponderauit: *circumſpexiſſe: vt aſpectu, & oculorum motu ad miſericordiam ipſos flecteret: & voluiſſe illos curare præ cæteris* (*quibus erant deteriores*) *& multis modis remedium attuliſſe*, &c. *illos autem omnem rationem retrusiſſe*: & homil. 43. in acta Apoſtolor. *quoniam igitur, neque is, qui punit* (Deus) *lætatur: igitur, & tu quoque ne læteris, ſed ſi iuſtè quidem, inquit, puniuntur non oportet dolere? etiam propter hoc eſt dolendum: quia digni ſupplicio viſi fuerunt. Dic obſecro: quando videbis filium tuum vri, vel ſecari non doles?* ideò per Angelos Deum punire, ac ſe ipſo benefacere multis ſcripturæ teſtimoniis oſtendit Hieron. epiſt. ad Cyprian. ad id Pſalm. 89. *quis nouit poteſtatem iræ tuæ?* &c. *Non enim corripit, vt interficiat, atque diſperdat, ſed, vt corrigat, & emendet*, & in 7. Ezech. ſub init. *Non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor*: ſcribit: *quaſi clementiſſimus medicus incidere cupiens putridas carnes & carioſa vulnera adurere cauterio non parcit vt parcat: non miſeretur, vt magis miſereatur; nequid putridum, viuaſque carnes ſui vicinia corrupturum remaneat in corpore. Percutit autem Dominus, quem diligit, & caſtigat omnem filium quem recipit: cuius intelligentia eſt, ego percutiam & ego ſanabo*: & ad id Malach. 1. *Filius honorat Patrem* ait: *vult itaque primum Deus, vt filij eius ſimus & bonum voluntate faciamus; ſin hoc conſequi nolumus, vt ſaltem ſeruos nos habeat, & à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus.* Proſper. ad id Pſalm. 144. *iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis*, inquit: *qui etiam flagella meditatur: ideò caſtigat vt parcat*, & Epigrammate 5. canit.

*Cum Deus exerta peccantes verberat ira:*
*Vt norint homines quid mereantur agit.*
*Nam, dum mortalis peraguntur tempora carnis,*
*Auxilium miſeris ipſa flagella ferunt.*
*Et vindicta breuis ſic noxia crimina finit:*
*Ne ſine fine habeat debita pæna reos.*

Sed, quoniam referendis Patrum in hanc ſententiam teſtimoniis dies, annique nos deficient: videantur Orig. 4. contra Celſum poſt medium. Baſil. in Pſalm. 37. ſub init. Ambroſ. in eundem Pſalm. col. 2. Athanaſ. d. contra Arium in Concil. Nicen. longe à medio, Cirill. Alexand. 5. controu. Iulian. longe à princip. S. Max. Oeconomicor. cent. 3. cap. 9. 10. 16. 22. 23. tom. 5. Bibliot. Nec alia mihi ſententia illa Pſalm. 2. *cum exarſerit in breui* (in hac vita, vel potius ſtatim, ac peccatur) *ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.* Magnum quippe ſpei & fiduciæ conſequendi miſericordiam fundamentum præbet inſtantaneum; nec dilatum ſupplicium. Tandem plena fide, atque in Deum pietate monitione illa 2. Machab. cap. 6. rem concludamus. *Obſecro eos qui hæc lecturi ſunt, ne abhorreſcant propter aduerſos caſus; ſed reputent ea quæ acciderunt non ad interitum; ſed ad correptionem generis noſtri: etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere magni beneficij eſt indicium*: & ſubinferius, *corripiens vero aduerſis populum ſuum non derelinquit.*

8. Adeſt aliud etiam potentiſſimum voluntatis antecedentis Dei, quatenus ex ipſo eſt, de omnium, etiam nequiſſimorum hominum recta vita, & ſalute argumentum ex frequentiſſima immanium ſuppliciorum ſceleſtis infligendorum in ſcripturis comminatione, ea quippe non, niſi ex honeſtæ vitæ, & ſalutis eorum voluntate, promulgantur: ne ſcilicet tranſgrediantur, ac pereant: vt bene Clem. Alexand. 1. Pædag. cap. 8. poſt med. *qui minatur*, inquit, *aperte oſtendit ſe mali nihil facere velle, nec ea, quæ minatur exequi; ſed incuſſo timore mala reprimit, & ſuam in hominis beneuolentiam oſtendit: adhuc differens, & oſtendens qualia ſint paſſuri, ſi peccatores permaneant; non autem ſicut ſerpens ſtatim momordit. Bonus ergo Deus.* Subinferius: *videte quomodo Deus propter ſuam bonitatem requirit pœnitentiam, & in ipſa minarum intentione tacitè oſtendit ſuam in homines beneuolentiam.* Hieron. Ezech. 33. ad id *ſi me dicente ad impium.* Sic ait. *Nec ſtatim ſequitur, vt, quia Propheta prædicit, veniat quod prædicit. Non enim prædicit, vt veniat; ſed ne veniat. Nec, quia Deus loquitur neceſſe eſt fieri quod minatur; ſed ideò comminatur, vt non fiat, quod futurum, ſi verba domini contemnantur.* Cyprian. lib. 4. epiſt. 2. longe à med. *in Pſalm. legimus etiam cenſuram pariter, & clementiam Dei comminantis ſimul, atque parcentis; punientis vt corrigat, & cum correxerit reſeruantis: viſitabo inquit in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Origen. 4. contr. Celſ. poſt med. *quod autem non effectus Dei ſit ira, ſed vnuſquiſque eam ſibi peccatis ſuis contrahat, docebit Paulus illis verbis, An diuitias bonitatis illius*, &c. pendit autem, & illud. *Theſaurizaſti tibi iram.* Tertullian. (vel potius adhuc Catholicus Nouatianus) de Trinit. cap. 5. *quod iraſcitur Deus, non ex vitio eius venit, ſed ad remedium noſtri illud facit. Indulgens eſt enim, etiam tunc, cum minatur: dum per hæc homines ad recta reuocantur*, inferiuſcule: *omnes iſtæ, vel iracundiæ Dei, vel odia, vel quæcunque ſint huiuſmodi, ad medicinam noſtram proferuntur*: Epiphan. lib. 1. hæreſ. 38. poſt med. *Prædicit itaque ſcriptura iuxta præcognitionem nos muniens, ac docens, vt ne incidamus in iram Dei immedicabilem, non ex affectu Dei decretum; neque ex eo quod ab affectibus ſuperatus ſit Deus contingentem; ſed hominibus peccatum facientibus iuſtiſſimè præparatam.* Hilar. in Pſalm. 2. ad id: *Tunc loquetur ad eos in ira ſua*, inquit, *quanquam nos ad voluntatem bonitatis, id eſt ad bene, honeſteque viuendum per ſpem promerendæ, & vtendæ ſuæ bonitatis illiceret. Pœnam tamen deuitatæ, & contemptæ bonitatis adiecit: vt, cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquiſſet, quia meritum neceſſitas naturæ non haberet, quotidie propoſitus è contrario pœnæ terror argueret*: atque infrà: *ſagittas ſuas arſuris operatus eſt* (ſic enim ipſe legit pro *ardentibus affecit*) ita habet: *operatus autem eſt, non ad motum repentinæ iræ, quæ per cupiditatem vlciſcendi ſubito accenſa ſit; ſed operatus arſuris eſt, qui per impænitentem voluntatem ipſi ſe conſtituerunt vrendos.* Denique infrà *ſic loquitur iratus, ſic conturbat indignans non puniens admiſſam impietatem ſed impænitentiam, ad pænitentiæ confeſſionem commemoratæ poteſtatis terrore perturbans*: Hieronym. Oſeæ 6. ad id *propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei* &c. ita habetur: *verbis terribilibus comminatus ſum: ſcapellum, ignes, & cauteria protuli: vt qui clementem contemnebatis timeatis offenſum, & occidi negligentes in verbis oris mei, vt ante peccatores verborum terrore punirem, quam captiuitas immineret.*

9. Poſtremo vehemens hoc deſiderium, & antecedentem Dei de ſalute, etiam perditiſſimorum hominum voluntatem demonſtrat animi, ſeu affectuum eius fluctuatio, cum illorum ſcelera ab eius voluntate ſupplicium exigunt, ac pene extorquent: actuſque eis Deus dum

dum pænam intentat hominum; nihilominus, & ſalutis eorum amore natiuo ardentique deſiderio, ne ſupplicia ex iuſtitia & ratione decernat, ſimul agimur, ita vt pene decreuiſſe eum pæniteat, & quaſi retractet cum decernit. Non aliter, atque amantiſſimus Pater dilectiſſimum, peſſime tamen meritum, filium immani ſupplicio affecturus, hunc tenerrimo eius amore inde peſſimo merito ipſius diſtractus, iam ad veniam trahitur, iam impellitur ad ſupplicium: neutram vero ita peragere ſtatuit, quin inde in oppoſitum affectum ſimul regrediatur. Notatur Dei in perditorum ſuppliciis decernendis, paterna hæc animi, & voluntatis fluctuatio, & pugna Oſeæ 6. illis verbis: *quid faciam tibi Euphraim, quid faciam tibi Iuda?* Ad quæ Hieron. *Parentis in perditos filios monſtrat affectum: iuxta illud* &c. ac ſi dicat. *Noſe, que me haga contigo: quem adeò ardenter amo.* Alioqui ad manum, & in promptu erat quid agerem: ſcelerum, à quibus te adeò efficacibus mediis detinere, ac remediis reuocare tentaui meritiſſimo ſupplicio: item Oſeæ eiuſdem cap. 11. *quomodo dabo te Euphraim, protegam te Iſraël? Quomodo dabo te ſicut Adama, ponam te vt Seboim: conuerſum eſt cor meum, pariter conturbata eſt pænitudo mea: non faciam furorem iræ meæ.* vbi Hieronym. *Nunc Deus ad Iſraël Parentis loquitur affectu: quid tibi Euphraim? quomodo te meo auxilio denudabo?* id ſane Paternus meus affectus etiam poſt tot, tantaque ſcelera tua pænas debitas extorquentia, non patitur: *qua te arte corripiam? quo potero ſanare medicamine?* & inferiuſcule: *cum duram imo crudelem ſententiam protuliſſet: rurſum Parentis affectu miſericordia vincitur; dicit enim conuerſum eſt in me cor meum: pariter conturbata eſt pænitudo mea:* & ad eundem locum Theodoretus: *ego, inquit, te defendere ſtudeo: verum non me hoc facere ſinunt tua impia ſcelera: quare, ſicut Adama ponam te, & ſicut ſeboim, quæ vna cum Sodoma, & Gomorrha deflagratæ ſunt. At, vix contra eos calculum eduxerat, cum miſericordia adductus ſententiam reuocat. Parentes imitatur, qui, cum maximo labore filios ab errore reuocare non poſſunt, natura perturbantur.* Hierem. 18. *Repente loquar aduerſum gentem, & aduerſum regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud: ſi pænitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam, & ego pænitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei: & ſubito loquar de gente, & regno, vt ædificem.* Vbi ipſo puniendi decreto ex hominum amore eius reuocatio, & pænitentia concepta à Deo legitur, ni per arbitrij noſtri ſteterit abuſum.

10. Hæc porro antecedens Dei de omnium hominum ſalute adeò eſt ex ſcriptura, Patribus, & Theologicis rationibus, vt vidimus explorata, vt nihil firmum contra eam poſſit opponi, vnum eſt Auguſtini teſtimonium recitatum à Ruiz d. 20. ſect. 5. numer. 6. his verbis: *Multi ſalui non fiunt, non quia ipſi nolunt; ſed, quia Deus non vult: quod abſque vlla controuerſia manifeſtatur in paruulis.* Ergo reſpectu horum, nec de ſalute eorum eſt voluntas antecedens, quæ expreſſe ab Auguſtino negatur: nec conditionata ex parte obiecti, ſiue ſuſpenſa, ac pendula à bono vſu arbitrij, vt dicebamus. Reſpondetur: voluntatem ſaluandi, quæ reſpectu aliquorum negatur ab Auguſtino, cuiuſque defectu, & adulti plures, & infantes in baptizati (de quibus ibi Auguſtinus) pereunt, non eſſe, quam cum ſcriptura, & Patribus, & communi Theologorum adſtruximus; ſed voluntatem prædeſtinatiuam, ſeu Dei prædeſtinationem: ſine qua nemo de facto ſaluatur, & quam Deus, adhuc ex ea antecedente voluntate ſalutis omnium hominum pro ſuo arbitrio, & voluntate poteſt erga quemuis habere, vel omittere: ac proinde nulla hominis actualis voluntas cauſa ſæpe eſt, vt erga ipſum à Deo prædeſtinatio non habeatur: vt in paruulis, qui in baptizati decedunt, & adultis quorum primum mortale finale quandoque eſt, eſſeque in omnibus abſolutè poteſt: quare huius rei cauſas præter Dei voluntatem, occultaque, & ſecreta concilia, tam in paruulis, quam in præfatis adultis ob primum mortale damnatis, indagare invtilis, atque ſtolidi laboris nobis eſſet, vt docet Auguſtin. ſæpè & 4. contr. Iulian. cap. 8. circa med. & epiſt. 157. ad Optatum poſt medium, quamuis eius voluntatis. & concilij rationem ſatis congruam addat vt in non prædeſtinatis *nouerint, quid omnibus debeatur, & prædeſtinati, quæ ſibi pæna debita* (ob originale ſaltem) *relaxetur; & quæ in debita gratia condonetur:* quam rationem, & verba inſeruit Beda in id ad Romanos 9. *quod ſi Deus volens oſtendere iram:* &c. Alia, quæ opponi cum ſpecie aliqua difficultatis poſſent diluimus certam. 3. numer. 4. 5. & præſertim 6. leuiora vero plura ex ſimplicitate volitionis diuinæ deſumpta, nec mentionem, nedum ſolutionem merentur, illud tandem, quod voluntas Dei ſemper, ac de lege, vt aiunt, impleatur, debeatque impleri: id quod, de actiua, & ſeria voluntate Dei ſaltem, intelligendum videtur (cum tamen antecedentem hanc ſalutis omnium ſeriam actiuamque eſſe, etiam reſpectu reproborum in quibus non impletur, docuerimus, difficultatem non habet: ſiquidem de voluntate ſeria Dei omninò, & abſolute efficaci proprium eſt infruſtrabilem de ſe eſſe, ac natura ſua cum effectu volito connecti, vltra vero, imò infra eiuſmodi efficaciam, aliam ſeriam actiuam Dei voluntatem eſſe poſſe efficacem ſolummodo ſecundum quid, cuiuſmodi antecedens hæc Dei voluntas ſit, oſtendimus certam. 3. numer. 6. quare illi non in reprobis ſolum (in quibus de facto caret) ſed in omnibus effectu carere non repugnat: imò nec Deum ſalutis, rectæque vitæ alicuius, quantumuis eximiè prædeſtinati, à Deo vehemens deſiderium habere non poſſe, quod natura ſua abſolute efficax conſenſus honeſti, & ſalutis per illum conſequendæ ſit, ipſiſque ab intrinſeco connexum, oſtendemus ſequenti quæſtione de præfinitionum, etiam natura ſua regulatarum per ſcientiam mediam, poſſibilitate agentes.

## QVÆSTIO IV.

### *De affectu proſecutiuo Dei erga rationales creaturas ſpeciali, ſiue amicitia Dei propria erga illas.*

EX dictis ſupra de amore amicitiæ perſonæ cuiuſuis Trinitatis erga duas reliquas conſtat Deum erga irrationales creaturas proprium amicitiæ, adhuc inchoatæ, ſiue quatenus ex parte Dei eſt, affectum exercere non poſſe: conſtat enim amicitiam perfectam, atque abſolutè talem, mutuum duorum, vt minimum amorem, ſiue alterius ad alterum redamationem eſſentialiter includere, irrationalia vero redamare nequeunt amantem: quare neque huius in ipſa amor amicitia, adhuc inchoata, & partialis eſſe omnino poteſt: ſiquidem pars omnis, & inchoatio vera, eſſentia ſua compartem poſſibilem, & totum ſiue abſolutum, & perfectum non repugnans eſſentia ſua concernit: quocirca etſi Deo erga irrationalia beneuolentiæ alicuius, quæ concupiſcentiæ non ſit, affectum negare me iudice non poſſimus (ſicuti, nec nobis, qui alteri ex certantibus brutis, nec ex noſtri, neque ex amicorum vtilitate, & complacentia victoriam optamus, ac de eius morte dolemus) amicitiæ vero propriæ adhuc inchoatæ erga illa affectum concedere non poſſumus: idcirco de amicitia Dei erga rationales creaturas ſolummodo eſſe poteſt quæſtio, & difficultas in præſenti profliganda: vbi de eius erga earum aliquas inæqualitate.